K Academiis Oxon. Univers. 1 Cafow
2502
4

ACADEMIÆ OXONIENSIS

COMITIA PHILOLOGICA

IN THEATRO SHELDONIANO

Decimo Die Julii A. D. 1713,

CELEBRATA:

In Honorem Sereniſſimæ Reginæ

ANNÆ

PACIFICÆ.



MBurghers delet sculp.

OXONII,

E TYPOGRAPHEO CLARENDONIANO,

An. Dom. MDCCXIII.

Ordo Comitiorum Philologicorum.

Tho. Tooly, Incept. in Art. Coll. Div. Joh. Bapt. Soc. *Comitia aperuit.* Oratione Soluta.

Concentus Primus.

I. Edm. Isham, Baronet. fil. A. B. è Coll. Magd. Lemma habuit, *Pax Annæ Auspiciis Instaurata.* Oratione Soluta.

II. Johannes Campbell, fil. nat. max. Hon^mi. D. Clenarque, fil. Com. de Bredalbin, ex Æde Christi, ad mensam D^rum. Commensalis. *Musæ Pacis Alumnæ.* Carm. Lyrico.

III. Rich. Levet, è Coll. Magd. Sup. Ord. Commens. *Ormondus Imperator.* Carm. Heroico.

IV. Tho. Bromley, Hon^mi. Gul. Bromley Arm. Sereniss. Reginæ à Privatis Consiliis, & Hon^lis. Dom. Comm. Oratoris, fil. nat. max. Æd. Christi Alumn. *Solennis Processio ad Ædem Div. Pauli.* Carm. Heroico.

V. Rad. Egerton, Baronet. fil. A. B. è Coll. Æn. Nas. *Episcopus Privati Sigilli Custos & Legatus.* Carm. Heroico.

VI. Edm. Morton Pleydell, è Coll. Bal. Sup. Ord. Commens. *Templa Votiva.* Carm. Lyrico.

VII. Joh. Alleyn, Reynoldi Alleyn de Barbadoes Arm. fil. è Coll. Magd. Sup. Ord. Commens. *Commercium ad Mare Australe.* Carm. Heroico.

VIII. Math. Priaulx, Coll. Nov. Schol. *Ærarium Repletum.* Carm. Heroico.

IX. Tho. Archer, Arm. fil. è Coll. Trin. Sup. Ord. Commens. *Regnum Galliæ à Philippo Renunciatum.* Carm. Heroico.

X. Jac. Bouverie, Rich. Lyddel, Edvard. Jones, ex Æde Christi Sup. Ord. Commenss. ex eadem Æde Comm. *Britonum Supplices Libelli.* Carm. Amœb.

XI. Henricus Muxloe, A. B. è Coll. Bal. *Furor Guiscardianus.* Orat. Soluta.

Con-

Ordo Comitiorum Philologicorum.

Concentus Secundus.

I. Henricus Dawney, Hon^mi. D. Vice-Com. de Dowa fil. natu minor, ex Æde Chriſti ad Menſ. D^rum. Comm.
Jacobus Hamilton, Arm. fil. ex eadem Æde Sup. Ord. Commenſ.
Carolus Cecil, Arm. fil. ex eadem Æde Sup. Ord. Commenſ.
Preli Academici Immunitas. Carm. Amœb.

II. Rog. Farbrother, A. B. è Coll. Corp. Chriſti. *Prelum Liberum.* Oratione Soluta.

III. Tho. Leigh, A. B. è Coll. Corp. Chriſti. *Prelum Clauſum.* Orat. Soluta.

IV. Carolus Shuckburgh, Baronet. fil. è Coll. Reg. Sup. Ord. Commenſ. *Dunquerca Delenda.* Carm. Heroico.

V. Edv. Liſle, è Coll. Magd. Sup. Ord. Commenſ. *Senatus Britannicus.* Carmine Heroico.

VI. Johannes Maynard, è Coll. Div. Joh. Bapt. Sup. Ord. Commenſ. *Aſſiento, ſive Commercium Hiſpanicum.* Carm. Heroico.

VII. Tho. Joyner, Chriſtoph. Joyner, è Coll. Trin. Sup. Ord. Commenſſ. *Novarum Rerum Scriptores cum bello conticentes.* Carm. Amœb.

VIII. Carolus Trelawney, Rev^di. admodum in Chriſto Patris Epiſc. Wint. fil. Nat. minor, ex Æde Chriſti. *Exercitus Exauctoratus.* Carm. Heroico.

IX. Edm. Doughty, è Coll. Wadh. Sup. Ord. Commenſ. *Anna Eccleſiæ & Academiarum Fautrix.* Carm. Heroico.

X. Henricus, Baro de Colerane, è Coll. Corp. Chriſti. *Muſarum Oblatio.* Carm. Lyrico.

Concentus Tertius.

Edv. Emes, Incept. in Art. è Coll. Magd. *Comitia Clauſit.* Orat. Soluta.

PROLOQUIUM.

QUOD felix fauſtumque ſit, Corona Spectatiſſima, jam clauſis *Jani* poſtibus, apertoque tandem *Sheldoni* noſtri *Theatro*, inſolitum aſſumit vultum, & quaſi renovari ſe ſentit Academia. Rurſus poſt naufragos procellarum tumultus obverſatur ſerena cœli tempeſtas, quam ſumma cum aviditate diu, ſed heu! vana ſpe lactati, expectarunt omnes, promittere nemo poterat mortalis. Rurſus poſt longam annorum ſeriem revocantur exulantes Muſæ, & ſolennia redeunt *Comitia*. Neque enim lubricæ Fortunæ fluxa inſtabilitas, neque cæſorum hoſtium, inſtar *Lernæi* ſerpentis, geminata agmina, nec (quæ ubique maxime formidandæ ſunt) occultæ Indigenarum fraudes, & perfidorum hominum machinationes nefandæ, impe-

dire poterant, quominus à bellorum rabie incolumes, à tot tantiſque Reipublicæ mutationibus inconcuſſi, hoc otio demum potiamur. Invitis inſipientis turbæ querelis, ingratiſque *Factionis* ſeditioſæ conviciis, *Bellonæ* deferuntur caſtra, *Minervæ* ſequimur veſtigia. Quæ dum Nos ad ulteriorem ſtudiorum profectum, ad ingenuas artes ſcientiaſque promovendas excitat, de clariſſimis hujuſce ſuæ ſedis hoſpitibus arguto ſcommate, jocis feſtivis, & amœna qualicunque alacritatis noſtræ imagine recreandis admonet.

Et ſane exhibentur Vobis, Juvenes Academici, ſpectacula intentis oculis perluſtranda, ſpectatores optimis ingenii veſtri conatibus digniſſimi. Juvat circumſtantem contemplari cœtum, collectos undique *Britanniæ* Magnates, necnon amabilem Nympharum concurſum, quas ne veſter *Phœbus* ſumma eloquentiæ ſuæ ubertate, ſummis Poeſeos divinæ viribus ambire dedignaretur. Optati hujuſce liminis hoſpitio excepti nec ſedes patrias, nec charos recordantur Penates: armorum præteritique laboris immemores mirifica quadam voluptate perfunduntur animi, & itineris moleſtia ſic compenſata magnopere delectantur.

Unde autem Vobis gratulari incipiam, potius quam ab illa, qua perfruimur, bonorum copia; & quæ non ſolum

per

per regiones noſtras, ſed per terrarum tractus diſſitiſſimos, ſed per totius fere *Europæ* limites diffunditur? Libet nunc in ripa, tutoque in littore conſtitutis nuperos vicinarum gentium labores è longinquo proſpicere, iſtumque, quem eluctati ſumus, calamitatum Oceanum placido quodam horrore paſſim contemplari. Urbes tam arte, quam natura munitiſſimas, obſidio cinctas, ariete concuſſas, & tantum non in pulverem redactas; Provincias in ſolitudinem mutatas; campoſque *Flandriæ* deformes, neglecto vomere, dumis vepribuſque tantum fœcundos, attonitus intueri videor. Quam truculentus, quam ferreus incedit miles, miſericordiæ expers, & humanitatis immemor! Furit cædendi maleſuada ſitis, non niſi cadaverum confuſorum mole ſatianda, non niſi diluvio ſanguinis extinguenda. Non vetulo, non infanti parcitur; nec quicquam profit aut Senatorum prudentia, aut florentiſſima virginum venuſtas. Audio captivorum gemitus & querelas, nunc liberos parenteſque crudeliter interemptos, nunc dulces relictæ patriæ fines, memoria revolventium; potiſſimum vero ſuam ipſorum ſortem lacrymis & iteratis lamentis proſequentium, quibus ſub oneroſæ ſervitutis vinculis, ipſius mortis ſagittis longe atrocioribus, vivendi dira neceſſitas imponitur. Ne memorem *Danubium* purpureo gurgite manantem, undaſque

que deplorando ſubmerſorum cumulo oppletas, & quodammodo retardatas.

A luctuoſis autem belli incommodis Vos ad jucundioris Scenæ proſpectum deducit oratio. Jam vere aurea redierunt ſæcula; filet claſſicum, filet armorum clangor, amicumque *Pacis* ſtabilitæ pignus *Palladia* frondeſcit olea. Conciliantur nobis tranquillitatis fœdera, ſecura, honeſta, & (ſi cœlum annuat) in omnem temporis perennitatem permanſura. Viret *Harleii* corona civica, dum rapacium Imperatorum laurus, heu! nimia profuſione ſanguinis & nummorum acquiſitæ, marceſcunt, & caducas demittunt frondes. *Harleium*, *Britanniæ* decus & columnam, non inveteratæ *Gracchorum* ſimultates, non *Cethegi*, aut *Catilinæ* inſidiæ, non denique irruentis Sicarii impetus de laudando animi propoſito deterrere poterant. Tot illuſtriſſimorum Patriciorum conſilia, quorum auſpiciis tutela rerum demandatur, quicquid avaritia, quicquid livor, aut perniciofior ſeditio machinabitur, in poſterum diſſipabunt. Perdomantur cætera imperii monſtra, nec audent venenum amplius eructare. Supereſt effrænata Fanaticorum rabies & invidia, nullis armorum terroribus debellanda, nullo benignitatis indicio demulcenda. Per terras *Britannis* olim inexpertas perruperunt arma, neque victorias noſtras retardare potuit

tuit aut virtus, aut insignior *Gallorum* dolus. Nec sola Tellus mandatis subjacet, dum velificatur formidanda classis, undarum REGINA, suæque potestatis vindex. Sic mari clauso, vel invitis gentibus malevolis, æquoreæque ditionis æmulis, dominatur ANNA, & divisum cum *Neptuno* gerit imperium. Sic animos rapinæ commercioque nostro quondam inhiantes in tam profundam tranquillitatem cogit, ut nullos in posterum sentiat Oceanus, nisi fluctuum, tumultus.

Apprime igitur æquum est, Juvenes florentissimi, ut REGINAM præconiis, quibus possumus, maximis prosequamur, Cujus sub Auspiciis ingenuæ *Pacis* artes, & humanitatis studia pari successu domi excoluntur, quo *Mordantius*, quo ORMONDUS scientiam militarem foras exercuerunt. Tali certe PRINCIPE, nec majus, nec divinius donum à cœlo poterat descendere; Cui pietas, Cui fides illibata, Cui plurimis satis perspecta benevolentia, undiquaque meritum conciliant splendorem. Cujus Incœpta fingit sapientia, peragit fortitudo, subsequitur gloria. Cujus clarissimus coruscat honos, nullo infamiæ consinio obfuscatus, nulla immanitatis, aut ambitionis macula imminutus. Victoriam utcunque reportatam plausibus repetitis effert imperitum vulgus, Eulogiis ornat servile adulantium Oratorum genus; & quos

ſecundat fortuna, iidem, juſtitia licet reclamante, aura populari in ſublime attolluntur, & ſonora famæ commendantur buccina: nos vero REGINAM noſtram celebramus, nequaquam vicinorum arva prædatrici turba invadentem, ſed exercitu triumphali hoſtes humani generis adortam, & violati fœderis ultricem imperterritam. Et quam honeſtum, quam glorioſum eſt miſeris ſuccurrere, jura gentium armis vindicare, & ab exilio diuturno *Themidem* reducere! Recentes palmas, renovatoſque victricium armorum triumphos aſpernatur, neque bellum indicit ANNA, imaginariam prorſus aucupans Chimæram; ſed belli finem intendit *Pacem*, *Albionis* incolumitatem, Mundi quietem. Miramur PRINCIPEM auſpicato bella gerentem, ſua arma in hoſtilis regionis viſcera inferentem, latiſſimaſque provincias ſibi ſubjugantem: & tandem (quod plane Heroici eſt, & pene Divini ſpecimen Ingenii) non tanquam Victricem, ſed tanquam *Aſtrææ* Cultricem obſervantiſſimam, æquamque Moderatricem ſeſe exhibentem. Satis enim gloriæ ſibi duxit ANNA, ſi ambitioſi Principis ſuperbiam refrænaret, ſi imperio ſuo, avitiſque finibus tuto frueretur. Qui vel maxime ſuæ comparatæ gloriæ æmulantur, auguſtiſſimam REGINAM noſtram, firmiſſimam Fœderatorum Columnam, iſtorumque fati, quotquot finitimarum

rum gentium libertati insidiantur, non minus Arbitram, agnoscere compelluntur; nihilque, nisi innatam pectoris mansuetudinem, victoriarum rapiditatem compescere potuisse, inviti confitentur. Spoliis & Trophæis satis onusta supplicibus *Pacem* donat & quietem; *Europæ* scilicet felicitatem potius conservandi cupida, quam ejusdem imperium armis acquirendi. Quæ dum externos passim componit tumultus, admiranda quadam animi magnitudine & constantia Scientias promovet, Res Civiles administrat, tuetur Sacras. O! diu interfit populo, producatque vitam suæ gloriæ coævam: neque sera posteritas ullos, nisi Principes STEWARTIADÛM sempiternæ celebritatis æmulos, *Britannico* insidentes solio conspiciat.

Gratulari interim licet placidissimum *Academiæ Oxoniensis* statum, cui *Te*, Insignissime *Vice-Cancellarie*, Vicarium suum præposuit ORMONDUS. Et quis demum *Academiæ* melior præsideat, quam qui *Academiam* contra novarum rerum studiosos tam strenue tutatur, moribus exornat, emendat disciplina? Quam *Tu*, inquam, cujus Auctoritate illustratur Ingenium, cujus vicissim Ingenio splendet Auctoritas.

Non possumus denique auspicatissima *Britanniæ* nostræ fortuna non exultare, ubi *Pacis* & lætitiæ renidet facies;

facies; ubi vigent Artes, floret Mercatura; ubi ſua REGINÆ Majeſtas, ſua conſervatur ſubditis Libertas; ubi non amplius (ſicut haud ita pridem) periclitantem cernimus Eccleſiam, ſub pientiſſima autem PRINCIPE, & integerrimis Imperii ſui Miniſtris florentem, fixam, ſtabilitam.

ANNÆ PACIFICÆ.

CONCENTUS PRIMUS

Ad Sequentem Oden Accommodatus.

ODE.

LAurus cruentas, & faciles nimis
Mori *Britannos* heu! ſatis & ſuper
Non cæde gaudentes Poetæ
Ambiguis cecinere plectris.
Nunc quotquot urget *Pierius* labor,
Feliciori aſcendere ſpiritu
Jubent Camenæ; gratuletur
Ut melior Lyra mitiores
PACIS Triumphos. O! quis ad arduos
Sublimis auſus, materiam valet
Æquare verſu? Surge Fama,
Irrequieta potentis ANNÆ

COMITIA IN HONOREM

Miniſtra: Juſtam dum regit Arbitra
Mundi Bilancem, Regnaque ponderat,
Felix Olivæ, diffitaſque
Sola ſciens ſociare gentes.

CHORUS.

Gentes amicæ plaudite, plaudite
PAGI faventes Caſtalidum Chori,
REGINÆ, & ILLI cui dederunt
Oxonii Titulos Camenæ.

Joſ. Trapp,
Coll. Wadh. Soc. Præl. Poëtices.

ANNÆ PACIFICÆ.

Pax ANNÆ *Auſpiciis Inſtaurata.*

QUod auguſto hoc Conventu lætetur *Academia*, quod erudito hoc Apparatu piis *Sheldoni* cineribus parentare, quod CANCELLARIO Noſtro incruentas Palmas, & denuo reverſum Muſis Patrocinium gratulari liceat, hæc omnia, Academici, Sereniſſimæ REGINÆ Pietati, ſummæ erga Literatos Liberalitati, Studioque indefeſſo in augendis Patriæ ſuæ Emolumentis, accepta debemus. Bellorum Strages diu nimis ingraveſcentes, diu nimis alienas Terras noſtro Sanguine fœcundas, ac Opibus vidimus ditatas. Nuper ingruerat vel à Diis ipſis vix amovenda Peſtis, & per integrum Decennium acerba Lues ſævierat. ANNA miſerias Populi ſui perpendit, ANNA ad labantem Patriam reſtituendam deſignata, perditiſque ſubditorum ſuorum Rebus optime geſtiens ſuccurrere. *Illâ* nimirum Auſpicante, tot Principum, tot Heroum Animi in Bello gerendo plane concordes, in *Pace* jam demum formanda felicius coaleſcunt: Utinam vero omnium ita concordaſſent animi! Cæterum uſque viribus ſuis nimium fiſus Bellum producit *Auſtriacus*; Qui ſi Tuis, REGINA, conſiliis auſcultaſſet, ſicut olim *Britannicis* Armis, ita nunc quoque *Pace Britannica* ſecurum tenuiſſet Imperium.

Atqui

Atqui ſane melius norunt *Belgæ*, ſibi ſemper providi, cui ſuam tuto ſalutem poſſent committere; Eamque, cujus ope, ſæviente Bello, victorias ſæpius reportarunt, imminente *Pace*, tranquillitatis ſuæ Arbitram facile agnoſcunt.

Quin deflendus *Boruſſorum* Rex quali Lætitia hunc conſpexiſſet diem! vel illis Feriis lætiorem, quas in honorem Puræ & Reformatæ Religionis *Fœderatis* non ita pridem *Muſis* celebravimus; Filium autem tanto Patre digniſſimum, nec degenerem ſcientiarum ſimul & armorum hæredem, reliquit, gaudentem quod illa fruiturus ſit *Pace*, quam ab ANNA acceptam lubenter amplexus fuiſſet Pater. Quid *Luſitaniæ*, quid *Sabaudiæ* Principes, quid Urbes, quid Gentes memorem, omnes ANNÆ defixas conſultis, & Otia, quæ *Illa* ferme univerſis præbet Terris, ſummo cum plauſu & lætitia accipientes? Scilicet mirantur omnes, Invictiſſima REGINA, quo molimine, qua ſolertia effeceris, ut rurſus *Tibi* ſub Imperium ac ditionem caderet Urbs illa, natura, & ſumma artis induſtria munitiſſima, quæ cum ab omni armorum vi expugnari nequiverit, *Te* jubente, *Pacis* & amicitiæ pignus inviolabile non invito traditur. Poſteri vero obſtupeſcent, victorias apud *Rhenum*, *Moſam*, *Iſtrum*, Monumenta legentes & audientes Tua.

Hæc

Hæc quidem Magna ſunt, nec Majora tamen deſunt dicenda. Sæpius enim luctuoſos, imo & ſuſpiriis aliquando mixtos, vidimus Triumphos; quinetiam maximam Victoriæ partem locorum Opportunitas, Militum Virtus, & quaſi ſuo jure Fortuna ſibi vendicat: ſed ex Illa Gloria, quam nuper adepta es, Auguſtiſſima REGINA, nihil Caſus elevat, nihil Sociorum amputant Auxilia, nihil decerpit Imperatoris Ambitio: *Tibi* nempe ſoli debetur, quod populi circumquaque tui inſolita exultent Lætitia, quod Muſis uſque nova ſuccreſcant Argumenta.

O Felix *Britannia*, imperante ANNA! Felix ANNA, conſulente *Harleio*! Merito *Tibi*, Clariſſime Literarum Antiſtes, ſummi Honores tribuuntur; *Tibi*, Munificentiſſimo Muſarum Patrono, ſuos præ aliis quibuſcunque titulos læta gratulatur *Academia*. Quibus vero laudibus, quibus præconiis Te omnis quaquaverſum effert *Europa*, ipſe teſtatur *Ludovicus*, qui tuis acceptum refert Conſiliis, quod, jam Senio confectus, protractique belli laboribus pene fractus, ANNÆ tuæ ultro efflagitet amicitiam, & ſecuram demum agat ſenectutem; teſtatur *Hiſpania*, quæ, dum *Te* miratur *Pacis* ferentem munera, ſponte tibi aureos ſuos expandit ſinus, ac congeſtas utriuſque *Indiæ* ſuæ opes in *Britannicum* quotannis *Ærarium* lubens effundit: Ad quaſcunque demum remotiſſimas terras, ad

quaſcunque vel ipſius Mundi *Auſtralis* plagas tua penetraverit Fama, illic incompoſitis vocibus rudes clamabunt incolæ, Hic eſt *Britannicus* ille Pacator Orbis, *Harleius*! Vos quoque, Pacifici Collegæ, compellare fas ſit, quos aſſidui labores, curæque ſollicitæ, & in patriam pius amor ac benevolentia, in extera gente longum detinuerunt. *Te* nempe, Inſigniſſime Præſul, cujus Capiti Mitram ANNA demandavit, cujuſque manus Suo ornavit Sigillo; quem non patriis tantum auxit Honoribus, ſed in Peregrinis Conſiliis præeſſe voluit, (in hoc, nec in hoc ſolummodo, benevoli animi erga Eccleſiam indicium præbens;) *Te* nempe prius apud varios Reges Legatum, feliciſſimi labores, perſpicaxque Ingenium, facile diverſas Principum conciliandi Amicitias, Fœdera feriendi, Paciſque morem imponendi artes docuere. *Te* quoque liceat digniſſimum tanti Viri Collegam, non minus Scientiis, quam Armis celeberrimum, debitis proſequi laudibus, quem in prælio ſtrenuum & impigrum, in pacis ſtudiis placidum atque prudentem, demiramur, utrique haud imparem Provinciæ, utrique Ornamentum; adeo ut, quicunque Te ſub armorum pondere laborantem conſpexerit, ad arma ſolum gerenda Te formatum diceret, qui vero Te arduis Reipublicæ negotiis feliciter invigilantem, ſeduloque patriæ commodis proſpicientem videret, Te ad hoc duntaxat opus natum exiſtimaret. Igno-

Ignoſcite vero, Academici, ſi hiſce Heroibus, Patriæ amantiſſimis, optimeque de Republica meritis, & vel ORMONDO Veſtro ſecundis, paulo diutius immoratus fuerim. Quis vero ORMONDI nomen efferre, quis ingentem Animum explicare ſufficiat, niſi par & Heroa ſimul ardor accenderet, & Oratorem? Jam vero juvat meminiſſe, & olim ſane juvabit, ut impiger *Ille*, Belli ad inſtar fulminis, in *Celtarum* acies penetraverit; ſemper in ore noſtro feretur & prædicabitur incredibilis illa apud *Vigum* Pugna Navalis, Hoſtiliſque Claſſis accenſa penitus atque depreſſa; ſed innatum bellandi Ardorem cohibere, ſed in ipſo Hoſtium, eorumque pene devictorum, conſpectu, Pacem meditari, ſed velle & poſſe, difficillimo potius Obſequio, quam certiſſima Victoria, illuſtrem eſſe, hæc, ORMONDE, Tua ſunt, & in æternum erunt, Encomia, mille Trophæis, mille Triumphis anteferenda. Quiſquamne igitur poſthac mirari poterit, quod ANNA per univerſas propemodum *Europæ* Regiones *Pacis* audiat *Arbitra*, quod ANNA leges exteris imponat gentibus, cum tantam Heroum turbam, tot fidiſſimos habeat Miniſtros, apprime dignos quorum Conſiliis, quorum ſubſidiis Tanta PRINCEPS, & Ipſa Rerum optime ſciens, confidat?

Cum *Britannorum* Victorias undiquaque partas ſeri tandem audient Nepotes, jure quidem optimo Cauſas exquirent,

quirent, unde tam longæ oriri potuiſſent Inimicitiæ, illius nempe *Pacis*, multis abhinc ſeculis, fruituri Beneficio, quod Sibi, ſuiſque ſubditis, bene auſpicatis Conſiliis, ſtabilivit ANNA. Forſan & antiquorum temporum revolventes Hiſtorias, atque legentes Sceptra fœmineis manibus geſtata, hoſteſque armis muliebribus ſubverſos, hæc ſecum dicent attoniti: Ob egregiam Magnanimitatem, Fortitudinemque pluſquam virilem, *Boadiceæ* Noſtræ merito ſuæ tribuuntur Laudes; Hiſpanorum Domitrix *Eliza Britannicis* in Faſtis æternum eluceſcet; ſed dum ANNAM recentibus quotidie inclareſcentem Triumphis conſpicimus, hoc pene omnem ſuperat Fidem, quod Illa nempe REGINA, Victoriis innumeris terra marique reportatis ad ſummum Imperii & Honoris Faſtigium evecta, potius duceret, *Europæ Pacatæ* Moderatrix, quam Subactæ Victrix, appellari.

Muſæ Pacis Alumnæ.

O! Si canoræ Diva ſciens lyræ
Ardore pectus concitet entheo;
Quali ſub *Etruſco* reclinis
Incaluit bene *Flaccus* antro.
Cum *Janus* olim templa *Quiritibus*
Clauſit jubenti *Cæſare*; cum Furor
Receſſit intro, ferreiſque
Compedibus fremuit revinctus:
Tum *Roma* centum fertilis Artium
Septena vidit per juga Cantibus
Certare Vates, & jocoſis
Tybrin aquis reſonare Carmen.
Hic *Naſo* curas ludit Amantium;
Hic *Pollionis* Muſa Tragœdiam in-
ducit eothurno; *Virgili*que
Surgit Epos *Jovis* aure dignum.
O fauſta Tellus, cui Genii ſacros
Indulſit Ignes *Phœbus* amicior!
O ſcripta Vatum, quæ nepotes
In memores retulere claſſes!

Sed nec *Britannis* flectit equos Pater
Averſus Oris, nec gelido rigent
Torpore Venæ, non ſub *Arcto*
Ceſſat Ebur, neque Veſtra quondam
Vocale Plectrum deſtituit Manus
Thymbræa Proles, quos generoſior
Accendit Æſtus, quos benigna
Caſtalius lavat *Iſis* unda.
Suſpenſa longum ſumite Barbita,
Aptate Nervos; En! niveis redit
Pax Alma bigis, & reverſam,
Veſtra cohors, comitantur Artes.
Quis *Ille* primus *Pieridum* Labor
Mitra refulgens? En! venerabiles
Agnoſco Crines, En! ſereni
Ora *Patris*, placidoſque Vultus!
Quas *Ille* terras plus vice ſimplici
Luſtravit Hoſpes? dicite Virgines
Per celſa *Parnaſſi*, Infulamque
Cingite *Palladia* Corolla.
Nec *Tu* tacendus, qui *Themidem* Arbiter
Diſpônis æqua lance, Clientium
Tutela præſens, O fidele
Pectus, & Eloquio Tribunal

Mulcere pollens Lingua! perennia
Seu diſſecabis Jurgia Civium,
  Sive Auſa *Gracchorum* retundes
    Non ſine Diis animoſus Ultor.
Veſtris, *Camœnæ*, fontibus & choris
Amicus, ingens Materies Lyræ
  Harlæus aſtat, non cruentæ
    Laudis egens, Animæve magnæ
Parcus; nefandi quot ſcelerum Doli
Heroa cingunt? quot Latus obſident
  Acuta Lethi? quæ *Britanno*
    Sollicitant ſuper Orbe Curæ?
Illo Auſpicante, expanſa fidelibus
Committit *Euris* Carbaſa, & ultimos
  Inviſit *Indos*, certus Auri
    Navita, nec metuens Pericli.
Ille Inſtitutis *Socraticis* madens
Volvit capaci ſæcula pectore;
  Illum nec orto ſole Pecten,
    Nec fugiente die, ſileret.
Ni deſtinantem talia Barbiton
Rite avocaret *Caſtalidum* Pater
  ORMONDUS, & geſtiret omnis
    Muſa ſuo comes ire *Phœbo*.

COMITIA IN HONOREM

ORMONDE, Muſis Nomen amabile!
ORMONDE, charum Militibus Caput!
Te docta Pubes, *Te* ſonabunt
Sheldonii Spatia ampla Tecti.
Ducente *Te* per Caſtra, per Æquora
Sequemur ultro; ſeu ruis impiger
In Bella, ſeu juſſus recedis
Obſequio potiore Palmis.
Stipata tali Nobilium agmine
Ponit *Britannis* Jura volentibus
REGINA, & immunes Duelli
Concilio regit æqua Gentes.
Sic Orbe tandem compoſito, *Hercules*
Attollit alte cœliferum Caput,
Nixus Columnis, quas locarat
Clara ſuæ Monumenta Dextræ.

ORMONDUS *Imperator.*

JAM jam mœsta diu Bellorum *Europa* Ruinas
Fleverat, & lassata, & fractis viribus ægra,
Acclinis *Britonum* sceptro langueſcere cœpit:
Cum placidam *Pacem* quæ causa arcana moretur
Inquirens ANNA, & socii Mysteria Belli
Evolvens, propere ORMONDUM, jam Sceptra tenentem
Patria, & intentum vexatæ nuper *Iernes*
Motibus, acciri jussit: dein talia fatur.

Non decet, O ORMONDE, decenni Marte *Britannos*
Cunctari. Quis finis erit? Redit actus in Orbem
Vincendi æternus Labor, & revolubile Bellum
Usque novum est. Quoties cadet Annuus, atque resurget
Perpetuus *Lodoix*? Pudet his succeſſibus uti
Innumeris; tædetque eheu! Superare Quotannis.
I *Tu*, Vince Semel. – Magnum imperterritus audit
Imperium ORMONDUS, solitumque in Pectore Martem
Concipit: & lætus Mandata faceſſere, jussum
Urget Opus velox, lethalemque Hostibus Ictum
Intentat, cogitque novo furere impete Bellum.

Malburium interea celsa de sede moveri,
Turbarique una *Britonas*, *Borbonius* aure
Accipiens avida, subrisit, Spemque recepit

Mente brevem: at ſubito rurſus cecidere ſereni
Vultus, ambigua intercluſit Gaudia Nomen
ORMONDI: atque optat Vexilla priora reponi.
Tum ſecum; dudum oh! luſtravi *Gallica* Caſtra,
Exquirens, ſi Quem tulerint mea Regna *Britanno*
Malburio ſimilem: dixi nempe Omnibus Unum
Plus valuiſſe Virum: ſolum Hunc ſtraviſſe, Triumphum
Duxiſſem; temere Vincendi certus, adempto
Malburio. At quo nunc ceſſerunt irrita Vota?
Quid ſi *Malburius* cecidit? Felicior ANNA
Repperit ORMONDUM. Quid jam contendimus ultra?
Vix ea queſtus erat, cum Ramum infantis Olivæ,
Tum fauſte annoſo ſurgentem ſtipite, dextra
Languenti carpſit, tremuloque hæc addidit ore.
Aumonti, ex Procerum illuſtri Lectiſſime turba,
Digne Meas geſtare vices, hanc accipe tandem
Paciferam Virgam, & celeres mea dicta per undas
REGINÆ *Britonum* præfer: nunc *Illius* eſſe
Agnoſco, ſtabilire æquato examine motas
Europæ Lances, & juſtas figere Regum
Imperio Metas. *Lodoix*, tot viribus impar,
Quam dare conſuevit, *Pacem* rogat: – At rogat ANNAM.
Aſpera tum primum cœpit miteſcere Tellus,
Et longum optatæ ſenſit Confinia *Pacis*.

Non

Non tamen ORMONDO interea vacat; inclyta Bello
Fertur ad Arva, Suoque rubentes ſanguine Campos
Rurſus adit lætus. Tamen omnes pectore Flammas
Non ſinit efflagrare; ſed æſtuat intus, & ægre
Corde premit Martem: ſuſpenſaque promptus ad Arma,
Dat *Pacem* monſtrato Enſe. Ac velut Arbiter æqui,
Hoſtibus incertis, dubiiſque accinctus Amicis,
Stat medius; ſoluſque Acies utraſque coercet,
Perque vices terret. Ne qua fit *Gallia* fallax;
Aut fureret *Batavus*; *Britonumve* ſit immemor *Iſter*.
Dumque moræ impatiens Heros, ſic vindice dextra
Impellit *Pacem*, & *Gandavi* è mœnibus altis,
Quod velit ANNA, jubet; cunctæ lætæ undique Gentes
Mirantur placidum Fervorem, immobile Pectus,
Intactamque Fidem; & dubiam plerique ſuſurrant
Malburii Famam: ſubitoque coercet avaras
Moſa undas, metuitque nimis turgeſcere *Rhenus*.
Fruſtra ipſi rurſus *Lodoici* prælia ſuaſit
Ambitio; ORMONDUM vidit, timiduſque receſſit
Obluctante animo; Quamvis dilecta ſuperbæ
Mœnia *Dunquercæ*, & non expugnabile Clauſtrum,
Deleri doluit: Quamvis ploravit *Iberos*
Disjunctos, & Sceptrorum Connubia rupta;
Nil moliri auſit, *Britonem*, Gladiumque minacem

Semire-

Semirecluſum horrens. Quem non *Blenheimea* Cædes,
Non Furor *Eugenii*, aut *Malburî* cautior Ardor,
Non Anni domuere decem; Vis prima ſubegit
ORMONDI, & juſſæ docuit ſuccumbere *Paci*.
Haud ſecus adverſi Boreæ Vis pluribus Annis
Sublimem vexat Quercum; divulſa ſubinde
Membra jacent, nimioque cadunt præ pondere rami;
Illa ſtat invicta, & redeunti vere vireſcit:
Sin tandem ignitum Fulmen magni Arbiter Orbis
Præcipiti dextra jaculetur; Fiſſile Robur
Procidit, atque ruens rapido diſcinditur Ictu.

ANNÆ PACIFICÆ.

Solennis Proceſſio ad Ædem Divi Pauli.

DUM clauſæ Belli Portæ, pacataque rurſus
Secula, feſtivis referunt *Encænia* Muſis,
Dum lætos iterant Plauſus, Arteſque reverſas
Tercentum celebrant Citharis Phœbeia Juventus,
*Sheldoni*que Lares rauco clamore reſultant;
Quas feſto REGINA die, Diis chara, Deorum
Ad Delubra parat ſolennes ducere Pompas,
Hinc canere aggrediar: numeros *Thymbræe* potentes
Da Pater, incœptumque una decurre Laborem,
Tantarum repetens mecum Spectacula Rerum.

Aurea qua niveis invecta Jugalibus ANNA
Cincta comas Olea graditur, Sacraria Divûm
Alta petens, effuſa omnis ruit *Anglica* pubes
Certatim, ſtipantque latus denſo agmine vulgus.
Non genua ægra labant Senibus tardante Senecta,
Fœmineaſve agitans ſueta formidine mentes
Terret Scena, licet numeroſo Milite Vici
Splendeſcunt, raucuſque Tubæ circumſtrepit Horror.
Ipſa triumphali incedit per Compita Plauſu
In medium REGINA Chorum, comitatur euntem
Nobilium Manus, & Sancti longi ordine Patres,
Caſtrorumque Decus, placidæ pars maxima Pompæ.

Quale Examen Apum, dulces ubi prodit in hortos
Rex operum Cuſtos, referens fragrantia mella,
Hinc atque hinc glomerantur, & aulam, & cerea circum
Tecta volant, lætoque fremunt per prata Suſurro.
Illum, fida Cohors, Proceres, parvique Quirites
Murmure deducunt hilari, & plaudentibus alis.
Quis tamen aurati ſequitur geſtamina Sceptri
Longum pone trahens Syrma, atque auguſta Sigilli
Ornamenta gerens? Sellas agnoſco Curules,
Egregioſque Viri vultus; qui Frontis Honores!
Quem ſeſe Ore ferens! quæ dulci Gratia pollens
Eloquio, & Linguæ quam non imitabile Fulmen!
Ille, vides, niveæ qui pulchra Inſignia Virgæ
Prætendit manibus, cui Mucro Pectus honeſtum
Tranſegit, profugæque nefas! Audacia Dextræ;
Ille graves Regni Curas ſub mente volutat,
Inque humeris Patriæ Spes inclinata recumbit;
Illius Auſpiciis, ſecurus mercis ad *Indos*
Navita fert puppes, nullis disjungitur Oris
Anglia, & *Auſtrales* revehit trans æquora Gazas.
At quidni *Tu*, *Sancte Pater*, redimitus Oliva
Solenni interſis Voto, cur redditus *Anglis*
Non ades, & præſens ornas, Tua Munera, *Pacem*?
Sed non ſorte pari tenuerunt invida Fata

ORMONDUM, viduique Ducem flevere *Britanni*;
Aſpice ut Heroi plauſu gratatur ovanti
Miles, ut obtutu lætus ſtudioque videndi
Ardet inexpletum; quæ paſſim Gaudia Cives
Ingeminant, quantiſque implent clamoribus Urbem!
Ferte citi, *Oxonidæ*, Ramos frondentis Olivæ,
Ferte Hederas; meritaſque para, *Rhedycina*, Corollas
Dilecto Capiti; ſi quid Tua Carmina poſſunt,
Si quid Plectra valent *Phœbeia*, ſemper amicum,
Semper honoratum ſerves in ſecula Nomen.

Nec *Tu*, Deliciæ Muſarum, indictus abibis,
Inclyte Vir, tanti graderis qui Gloria Cætus,
Os humeroſque Deo ſimilis, Linguæque potentis
Eloquio pollens, Quem *Franca* nuper in Aula
Audiit attonitus *Lodoix*; qui ſæpe Senatus
Firmaſti dubios animos, nunc inter avitos
Magnates, ſic ANNA jubet, Decus addite fulges.

Quis tamen inſolitus præſtringit Splendor ocellos,
Divinumque Jubar? *Paphiæ* quæ Munera Divæ,
Idaliæque Faces? quæ lucet in ore Venuſtas
Virgineo! Nymphæ quam late tela minaces
Vibrant, veſter Amor, Juvenes! Avertite retro
Lumina, nec tantas male cauti accedite flammas.
Formoſi media ANNA Chori, cervicibus altis

Extat

Extat, & Inceſſu gravior, Cui fronte ſerena
Majeſtas, placidoque renidet Gratia Vultu.
Qualis agit triplicem Capitolia ad alta Triumphum
Cæſar, Diis *Italis* Vota immortalia ſolvens,
Hinc atque hinc variæ Gentes *Romana*que Pubes
Cirumſtant, lætoque Ducem clamore ſalutant;
Ipſe *Quirinales* Curru ſublimis ad Aras
Invehitur, Victorque viros ſupereminet omnes.

ANNÆ PACIFICÆ.

Epiſcopus Privati Sigilli Cuſtos & Legatus.

MItræ grande Decus, Spes O! Fidiſſima regni,
Te noſtræ, Præſul, merito pars Maxima Pompæ,
Fert animus celebrare; Tuis hic omnia plena
Muneribus; Tibi votivos *Parnaſſia* pubes
Ingeminat plauſus, pacataque tempora circum
Inter *Palladias* Hederam Tibi nectit Olivas.

Quæ tamen, audaci numerorum pondere ſurgens,
Muſa ferat Carmen venerando Præſule dignum?
Quis fidas recolat pollenti Pectine Curas,
Conſiliumque ſagax rerum, mentiſque labores;
Cum Te per *Scythiæ* glacies, immitia regna,
Per loca *Riphæis* nunquam viduata pruinis,
Traxit Amor Patriæ, *Paciſque* immenſa Cupido?

En! Tibi pacato decurrit *Viſtula* rivo,
Et placidis fluit *Elbis* aquis; Te *Caſpia* tellus,
Te *Cimbri*, genus acre, colunt, atque, aſpera corda,
Submittunt faciles, coeuntque in fœdera, *Sueci*.

Talis eras, talem finxere ad Grandia mentem
Experiens uſu Labor, & Prudentia Regum
Apta Miniſteriis, magniſque exercita curis.

Hinc varias edoctum Artes, atque ardua rerum
Pendentem Momenta, avidis Te Patria votis
Suſpirat, Te Diva ſuis miſcerier ANNA
Optat conſiliis; Tibi Molem & Pondera Regni
Committit, Faſceſque Sacros; Tibi cura *Sigilli*
Et Mitræ, geminatus Honos, Inſignia cedunt.

Turba diu Superis inimica, odiiſque Sacrorum
Aſpera, Civili Officio, rebuſque gerendis
Invidit, Myſtamque ſuas detruſit ad aras.
Tu Decus antiquum, & Genti deſueta Togatæ
Aſſeris Imperia; en! victis ſe oppreſſa tenebris
Relligio, penetrans Aulas, & Limina Regum,
Erigit, & veterum repetit veſtigia Laudum.

Sic ubi Templa Deûm & ſanctas fœdaverat Aras
Argolicus furor, everſæ pia Numina *Trojæ*
Intulit *Æneas Latio*, magnumque Penates
Vexit in imperium, poſuitque altaria Divûm,
Æternumque adytis fixit penetralibus ignem.

Hos meritus laudum titulos, hæc tanta viarum
Emenſus ſpatia, & gentes hinc inde remotas
Veſtigans, moreſque virûm; nil linquis inauſum,
Nil intentatum, quo Res firmare *Britannas*,
Et patriam inſtaurare queas per ſecula Famam.
Unum etiam Meritis iſtis, unum, Optime Præſul,

De-

Defuit hoc, tractum per bina decennia Bellum,
Et ſterilem Palmam, & vacuos finire Triumphos.
Has Tibi fata vices; ſed enim conatibus obſtant
Ferventes *Graccherum* animi, quibus utile bellum,
Aſpera gens, ſpoliis aſſueta, & vivere rapto;
Nequicquam per mille dolos, atque abdita fraudum
Conſilia, impellit ſuperari neſcia Virtus.
Tu potes hoſtiles ſociare in fœdera Reges
Arbiter, & juſta bene pendens omnia Lance,
Ambiguas figes Metas; Hic Terminus eſto
Celtarum Imperiis; his *Belga* impune fruatur
Sedibus; exultet *Rheni* trans oſtia *Cæſar*;
Tethys, ANNA, Tuæ ſe cuncta per æquora claſſi
Tradat, & Oceanus Tibi ſerviat omnibus undis.

Tot ſuper exhauſtos terraque marique Labores
Tandem abſiſte, Pater, proprioſque inviſe Penates:
Sat Patriæ Famæque datum; cape lætus honores,
Quos *Britones*, quos ANNA parat; fine debita canas
Cingat vitta comas; per longum floreat ævum,
Auſpice Te, *Pax* alma, & amet Tua Munera dici.

Templa Votiva.

TAndem remittas, æmula Buccinæ,
Ciere durum ad prælia militem,
Æque Triumphantem referre
Muſa potens, variante dextra;
Feri Tumultûs jam ſatis, horridæ
Martiſque formæ: quære modos loquax
Amiciores, Laureato
Chorda ſatis repetita Plectro.
Comantem Oliva mutat Adoream
REGINA, Belli mitior Arbitra,
Tholoque jam ſuſpendit Haſtam
Innocuam, emeritumque Ferrum.
Quanquam ANNA claudat Fana *Patulcii*,
Cultrix Deorum non tamen infrequens;
Jani Triumphis jam peractis,
Diis aliis ſua Sacra libat.
ANNAM Sorores dicite conſonæ
Aras voventem: Me quoque Spiritu
Divinori *Phœbus* afflat,
Atque novo tremit Igne Pectus.

En!

ANNÆ PACIFICÆ.

En! ut videre eſt rite ſub *Auſpice*
Delubra ſenſim ſurgere *Regia*
Auguſta, cognatoſque celſis
Verticibus ſuperare cœlos!
En! ut Columnarum Ordo nitentium
Oſtentat Ædes Numinibus pares!
Candoris ut late vagantes
Luxuries oculos fatigat!
At ſi ardet Auro multus Apex Tibi,
Paulina Moles, Templa Sororia
Ne temne Major, ſimplicique
Munditie pariter decora.
Nunquam O! *Genevæ* Pallia ſordidæ,
Nec purpuratæ *Pontificum* Infulæ,
Hæc Fana lædant, faſtuoſæ
Pompa nimis ſpecioſa *Romæ*.
O ANNA! Vates ſi bonus auguror,
Seros Honores his Penetralibus
Tu ſortieris, forſan olim
Diva Tuis celebranda Templis.
Quin Muſa, pennis Te properam ferens
Ad exterorum Limina Principum,
Præſaga dicas, (ſi quis ANNÆ
Arma iterum meditetur Hoſtis,)

COMITIA IN HONOREM

"Cave, refigas lubrica Fœdera,
"Brevem doloſus neu temeres Fidem:
"Nam prodiga devinxit Omnes
"ANNA Sibi pietate Divos.

ANNÆ PACIFICÆ.

Commercium ad Mare Auſtrale.

DUM victos *Gallorum* animos, finitaque Belli
Tædia, & *Europam* compoſta *Pace* ſilentem
Læta Theatra ſonant: *Britonas* generoſa reliquit
Ambitio, ſecura Quies oblita laborum
Corda habet; & ſe jam fauſtam ſatis *Anglia* credit.
Non ſic *Harleio* viſum. Vir providus audet
Ulterius prodeſſe; in publica Commoda magni
Prodigus Ingenii: Tacita *Ille* in mente repoſtas
Res Patriæ propere evolvens, perque omnia Acumen
Indefeſſi Animi verſans, nova Sceptra remotis
Invenit in terris, aliumque ANNÆ indicat Orbem.
Defunctæ bello Naves, ignobilis Otî
Probra diu veritæ, obſcuram ſine laude Senectam
Ducere non ultra metuunt; ſed munere digno
Ornatæ, modo quæ pacarant, æquora viſent,
Exaucturæ Opibus, quos defendere, *Britannos*.
Jamque mari inſultat Claſſis, fluctuſque ſuperbos
Spe plena agglomerans, fragrantia pone relinquit
Littora *Braſiliæ*; vel divitis Oſtia *Platæ*
Contendit petere; aut *Patagonas* viſere geſtit

Prole

Prole Gigantea notos; vel præterit æſtum
Lemarii, & flavæ *Chiles* allabitur oris.
Apparent procul, & nudata cacumina Montes
Attollunt mœſti: ac veluti prædives Avarus
Inculta ſquallet facie, miſerabile corpus
Horrida deformat Macies, & turpis Egeſtas
Mendaci ore ſedet; Tali Regio iſta videtur
Aſpectu; non læta Seges, non Herba vireſcens
Triſte ſolum veſtit; non ridet fertilis Arbos,
Non ipſum infelix Lolium; nuda omnia circum,
Et tota eſt ſterilis Tellus. Tamen intus abundat
Vis larga Argenti, & rudis Auri pondera creſcunt.
Huc ſubeunt *Britones*, juſtaque cupidine lucri
Ardentes, alacri terras clamore ſalutant.
Indiginæ *Auſtrales* celſas accedere Puppes
Littore proſpiciunt, & vim prohibere parati
Armis cuncta tenent: at cum veniſſe *Britannos*
Fama refert, tanto perculſi nomine, ſaltant
Horrendum; & poſitis jaculis, & corde feroci,
Certatim coeunt, oculiſque & mentibus hærent
Affixis; Roſeaſque genas, formoſaque luſtrant
Corpora, mirantes tanta dulcedine miſtum
Terrorem, Bellique decus. Nunc ſanguine tinctis
Hiſpano gladiis dant Oſcula; telaque palpant

Horrida;

Horrida; quaſque modo trepidavit *Gallia* Criſtas,
Attrectant blandi; per barbara pectora ſurgit
Lætitia; uſque adeo juvat aſpectaſſe *Britannos*.
Aſt illi interea, quas ſedes incolit Aurum,
Quam ſecreta ſibi poſuere cubilia Gazæ,
Quærere feſtinant prompti: delectat euntes
Sub pedibus crepitans Tellus, & tinnula Gleba
Vicinas enarrat Opes; Stellata metallo
Saxa micant, tremuloque ardeſcit pulvere Campus.
Labitur exiguus juxta per devia rura
Rivulus, & ripas, quas flumine lambit, inaurat;
Lætus adit miles, propiori languidus æſtu,
Dumque ſitim ſedat, vaga lympha ſub ore bibentis
Flaveſcit, luditque Aurum ſubtile per undas.
Talibus exercet ſeſe novus Advena curis,
Et rufam vel verſat humum, aut rimatur arenas,
Aut ſubit effractos montes, curvaſque fodinas,
Aut nudum ſpectat foſſorem viſcera terræ
Diripere, & venas inveſtigare ſequaces;
Aut, alio verſus, liquidum fluitare metallum,
Fornaceſque ſtupet Nummis fervere futuris.
Interea expediunt *Indi* pretioſa *Britannis*
Munera, Amicitiæ pignus; Donumque paratur
Magnificum Victrici ANNÆ: Quid Fœmina fecit

Barbara Gens canit, atque incultis laudibus ANNAM,
Delicias *Boreæ*, celebrans, Commercia jungi
Optat, & inde novos ſibi ſurgere ſpondet Honores.
Jamque omnes reſerantur Opes, magniſque ſuperbi
Hoſpitibus populi, latebris expromere gaudent
Divitias, veteresque ultro tellure recludunt
Theſauros: & jam detracta monilia collo,
Dædaleas Plumas, & vaſti Ponderis Aurum,
Argentumque ingens cumulant, ſtipantque carinis.
Totos pande ſinus *Thameſis*, læto excipe fluctu
Quas tibi Primitias *Notus* affert, Orbis *Eoi*
Invidiam. Pro te nunc æmulus *Indus* uterque
Muneribus certat; tua, luxus quicquid ubique eſt,
Unda vehit; *Thameſi*que ſuperbum cedere *Gangem*
Mœſta *Aurora* dolet. Seri gaudete Nepotes;
Immortalem aperit Theſaurum *Harleius*; & *Auſtrum*
Pandit inexhauſtum. Vos vela tumentia, *Belgæ*,
Contrahite: & tanto ne faſtu, *Hiſpania*, jactes
Tecta ſuperba *Limæ*. *Britones* miracula *Chiles*
Narrabunt propriæ, & ſpernent juga fulva *Potoſi*.
Anglia nunc, Armis poſitis, meliore Metallo
Vulnificum mutat Chalybem, creſcitque viciſſim
Ferro Auroque potens: duplici hoc Munimine tuta
Perpetuam aut celebret *Pacem*, æternoſve Triumphos.

Tu

Tu quoque luxurians nativo Nectare Tellus.
Chara mihi Patria, exultes; Tu debita jungas
Gaudia; Te posthac supremo in limite Regni
Non distare querar; non terminus Ultimus ANNÆ
Sceptri eris: *Angliacum* nunc ipsum respicis *Austrum*,
Teque Orbis mediam video, Imperiique *Britanni*.

COMITIA IN HONOREM

Ærarium Repletum.

PAllentes Heroum umbras, & Sanguine campos
Purpureo pingues, Molemque atque aſpera Belli
Muſa frequens cecinit; tandem Inclementia fati
Detonuit, Gladiuſque alta ſuſpenſus in aula
Dormitat, manibuſque incurvum Miles Aratrum
Dirigit, &, quondam hoſtili madefacta Cruore,
Gramina pacificas invitant læta Camœnas.

Vertice qua ſurgit felix *Auguſta* ſuperbo,
Mirantemque Orbem gremio, genteſque remotas
Accipit, antiqui Monumentum inſigne Laboris
Stat Domus, ornatu non illuſtrata nitenti,
Nec variis Moles aſſurgit celſa columnis;
Huc tamen *Angliaci* tendit fiducia Regni,
Hic ſpes Imperii, Solii hic populique Satelles
Curam agit *Harleius*, Patriæque innixus amori
Ridet avaritiam *Batavam*, faſtumque repellit
Auſtriacum, gratamque manu prætendit Olivam.

Dic, precor, O *Thymbræe*, (tuo nam viſcera terræ
Munere flaveſcunt, radiiſque potentibus Auri
Materies crudi coquitur) quis turbidus *Hermus*
Divitiis, rutiliſve fluens *Pactolus* arenis

Irrigat,

Irrigat, *Angligenaſ*que inverſa proluit urna?
Non rutilis *Pactolus* aquis, non turbidus *Hermus*
Irrigat, aut flava *Thameſin* fœcundat Arena;
Non ſatis Amnis habet, totum ſe deſpuit Æquor,
Prægnantique ſinu noſtras defluxit ad Arces,
Et plena infuſo rident Æraria Ponto.
Hinc inhians opibus Juvenum Manus emicat, *Auſtri*
Veſtigans ſpolium; qua circumfuſa tenebris,
Divitiis operoſa ſuis, metuenſque videri
Natura invigilat, ſeque in ſua viſcera condit:
Sed tandem *Harleii* vigili explorata labore
Invitum expandit gremium, pavitanſque recedit,
Mox deprenſa rudem ponit mutata figuram,
Nec facies, nec forma eadem, ſed tota reſulget.
Pendulus haud aliter Bombyx ſe in fila reſolvit,
Incluſumque ſuo miratur corpore corpus,
Ipſe ſibi Labyrinthus, & inſuperabilis Error:
Quin manus ingenioſa Animamque, & clauſtra relaxat,
Et nova mutatus pandit miracula Bombyx.
Non jam elata Animo titulos oſtentat inermi
Auſtria, nec *Batavi* Belli dulcedine pingues
Ad Pugnam aſpirant, iræve Piacula poſcunt;
Non jam oppreſſa gemit diviſum *Hiſpania* Sceptrum,
Nec Domus indignum metuit *Borbonia* fatum:

Nam *Britonum* vires, *Britonum*que potentius Aurum
Indulgent *Paci*, noſtros dum cedit in uſus
Auſtriacæ tutela Domus, *Batavi*que Cupido.
Hinc ægra admitttunt antiquam Æraria famam
Collectis fœcunda Opibus, fœcunda Salute
Imperii, Sceptrumque ANNÆ immortale tuentur.
Talem olim *Henricus* patria ſpectavit in Arca
Theſaurum; gemuere gravi ſub pondere Ciſtæ,
Et pene immenſo numerus defecerat Auro;
Nullus at Heſperidum Serpens vigilavit in hortis:
Defuit *Harleius*, qui res firmare labantes
Novit, &, aurata ſi decidat arbore ramus,
Imperet aſſimili frondem flavere Metallo.
O! cui magnificos Virgæ commendat Honores
ANNA, jubetque Opibus Regni invigilare repoſtis;
Vive, Decus Patriæ; Patriam, *Pacem*que tueri
Vive potens *Harleie*; Animam nec territet acer
Guiſcardus, ſolidamve invadet Factio mentem
Irrequieta; Tibi dum læta *Britannia* grates
Perſolvit, tantoque exultans gaudet Alumno,
Qui, cum plena Fidem tentant Æraria, ſervat
Incorruptum Animum, Fideique tuetur Honorem.
Sic ubi Quæſturam commiſit *Roma Catoni*,
Ille laborantem Patriam, nervoſque refecit

Impe-

Imperii, ſolitumque Decus, Famamque reduxit:
Sed dum magnificæ cernit regalia Pompæ
Præmia, theſauroſque Orbis, *Cypri*que Ruinas,
Prædives Virtute ſua, prædives Honore,
Temnit Opum Inſidias, & Paupertate ſuperbit.

COMITIA IN HONOREM

Regnum Galliæ a Philippo Renunciatum.

VOS, quibus *Europæ* fatum, *Occiduo*que ſub axe
Orbis amor cordi, qui juſto examine rerum
Eventus libratis, & æquo limite Metas
Figitis Imperiis; veſtro ſtant pendula Regna
Arbitrio, Terraſque ſuas, ſua Littora nôrunt:
Vos, quibus unamines coiêre in fœdera vires,
Ne res *Borbonidum*, Geminique potentia Sceptri
Creſcat in immenſum; ne fors volventibus annis
Gallo junctus *Iber* magnæ confinia terræ
Latius extendat, fruſtraque repagula ponant
Alpini juga montis, & interjecta *Pyrene*:
Non vos incaſſum per tanta Negotia curæ
Expediunt, vacuuſve Labor; nunc Terminus æquis
Signatur ſpatiis, fineſque utrinque locati,
Quos ultra citraque nequit conſiſtere *Gallus*.
Tandem parta quies, ſolioque *Philippus Ibero*
Securus potitur, Faſceſque coactus Avitos
Ejurat, *Lodoici* ANNÆque haud mollia juſſa.
Non metus, ut quondam, trepidantia corda *Philippi*
Concutit, *Heſperias* ne rurſum tendat in oras

Angligena, & doleat verſis *Hiſpania* fatis.
Non jam *Madriti* ad muros hoſtilibus auſis
Fulminat, aut terret metuentem civibus urbem
Mordantus, *Britonum* Agmen agens, Ipſe Agminis inſtar;
Quin poſitis Orator adeſt *Suttonius* armis,
Prætenditque manu ramum felicis Olivæ.
Jam tuto *Adriacos* gazis onerata Triremis
Sulcabit fluctus, jam ſoſpes nauta *Peruvî*
Arva, auri fœcunda, alioque ſub axe calentes
Indorum terras, Tua Regna, *Philippe*, reviſet.
Tu late imperitans gemino Commercia mundo
Utilia inſtauras; Tu *Mexicana Britanno*
Vellere permutas Spolia, *Angliacaſ*que carinas
Ferre jubes, quas amne *Tagus* contorquet, Arenas.
I, pete felici auſpicio potiora relictis
Sceptra, nec invideas dandum Diadema Nepoti.
Eſt tibi dives opum Tellus, lateque patentes
Campi, quos nunquam aut Oriens, aut Occiduus Sol
Deſtituit radiis; eſt dulci pampinus uva
Turgeſcens, pleniſque undans vindemia labris;
Sunt & ſydereæ Turres, centumque Columnæ
Ædibus aſſurgunt; non *Eſcuriale* Lacunar
Verſalæ exſuperant arces, *Luparæa*ve Templa:
Hic felix requies, & non ignobilis otî

Gaudia; non ultra horrebis, *Catalaunia* turbas
Quas movet, & ſero agnoſcens tua *Barcino* Sceptra.
Tu, volvenda dies animum cum aſſuevit *Iberis*
Ritibus, incipies Patrios dediſcere mores
Paulatim, Choreaſque leves, quas *Gallia* Ludo
Dedita perpetuo docuit; mox Lentior ibis,
Hiſpana patiens cum Majeſtate moveri.

Sic quæ *Teutonicos Rheni* prope littora colles
Veſtit felici pubeſcens palmite vitis,
Si *Lybiæ* ad campos, *Fortunati*que teporem
Transfertur *Nemoris*, jam luxuriante racemo
Protendit frondes, gratam potantibus umbram
Porriciens; mox uva infueto turgida Succo
Dulceſcit ſenſim, priſcique oblita Saporis,
Nativique Soli, melioreque propago parente,
Rheni vina auſtera, & * *Bacchi* deſpicit *Aram*.

* *Baccaracum* in *Germania* oppidum, vino generoſiſſimo nobile. *Chev.*

ANNÆ PACIFICÆ.

Britonum Supplices Libelli.

B. DUM claudunt Belli Portas, Martiſque tumultum
Componunt Socii Reges, odiiſque furentes
Bellatorum animos concordi Fœdere jungunt;
Dum Lituo ceſſante ſonat Lyra, & undique Plauſum
Ingeminant cum plebe Patres, urbeſque per omnes
Certatim inſtituunt ſolennia Gaudia Cives;
Me neque Conſiliis habilem, Rebuſve gerendis
Aptum, angit diſpar Sententia; ſpemque metumque
Inter Mens pendet, nec utrum feliciter *Anglis*
Ceſſerit, an *Pax*, fauſta parum, quid triſte minetur,
Scire licet. Quid vos ſuper his ſentitis, Amici?

J. Me, fateor, tractæ per bina Decennia Pugnæ
Tædet, & incepti, me non naſcente, duelli.
Sat furiis, Martique datum. Sat funera paſſim
Vidimus, & fractas toties Vincendo cohortes;
Et partas luimus ſumptuque & ſanguine Palmas.

L. Ergone Tu *Britonum* famæ, & victricibus Armis
Invidus obſiſtis, dudumque aſſueta Triumphis
Agmina longius ire, & debellare ſuperbum
Borbonium prohibes? quando altera ſcilicet Æſtas
Duxerit *Angligenas Pariſina* ad mœnia turmas?

Ergone

COMITIA IN HONOREM

Ergone tu belli requiem, atque expoſcere *Pacem*
Damnoſam patriæ? *Celtæ*que extollere robur,
Devicti ter & amplius? (*J.*) Haud me territat hoſtis
Gallia, nec *Britonum* diffido Viribus; at me
Raptat *Pacis* Amor, nec habet, Me Judice, felix
Anglia quod metuat doleatve; ſed undique tuta
Indicat ferias, Annæque inſtauret Honorem.
En hilaris rerum Facies! en limina circum
Regia ſtant Proceres, & ab omni Parte *Libelli*
Gratatum veniunt, Populi pia Vota ferentes!

B. Vidi ego *Supplicibus* conferta Volumina *Chartis*,
Quas hinc *Arthuri* proles, inde inclyta *Fergi*
Affert progenies, Annæque propinquior *Anglus*:
Vidi equidem, at quæ ſtat Populo ſententia, nondum
Auſim conjicere. (*L.*) Ex iſtis, mihi crede, *Libellis*
Conſilium Gentis ſi veſtigare labores,
Nil agis; huc illuc, *neutrum modo, mas modo vulgus*
Fertur, & Exemplis regitur: Quis neſcit abunde
Chartarum obveniſſe tibi, O infauſta Parentis
Magnanimi Soboles, *Cromwelli* flebilis Hæres?

J. At tecum, (ad *L.*) ſi rite ſcio, Vir ſubdole, pondus
Magnum habuit *Populi Vox*. (*L.*) Et volventibus Annis
Rurſum fors habitura. (*J.*) At nunc fraudiſque metuſque
Expertes ultro coeunt, genus omne, *Britanni*.

En

ANNÆ PACIFICÆ.

En hic, Artis inops, at fidi Pectoris Index
Pagina, & ex una fas omnes discere, verbis
His conscripta infit. "Nos Prætor & Aldermanni,
"Ballivi, Civesque, atque omnes Indigenæ Urbis
"*Oxoniæ*, ad solium consistimur, OPTIMA PRINCEPS,
"Omnes omnia fausta *Tibi* de corde voventes,
"Et super accepto gratamur Fœdere, nobis
"Dudum exoptato, & sociatis gentibus æquo.
"Non ignoramus, quas movit Factio turbas,
"Quo cauponaret bellum, non belligeraret
"Astu, Infida Cohors: sed Tu, REGINA, fideli
"Freta Ministerio, interjecta repagula rumpis.
"Nunc *Pacis* florebit Opus, nunc arva Tributis
"Libera sulcabit securus Messis Arator.
"Hoc *Tibi* pro certo audemus promittere, nos *Te*
"Cum Vitis, cum Fortunis munire paratos.
"Macte Tua pietate, ANNA, Auspicioque perenni
"Protege Subjectos, & debellato Rebelles.
B. Hæccine ab *Oxonia*? sed Ego vix suspicor illud
Urbis opus; certe quisquam de Gente Togata
Composuit; quin Prætori nil detraho, namque Hic
Omnibus Eloquio melior concivibus unus
Præstat, Consiliis habitus non futilis Author.
Unde tamen passim interspersa *Maronis* & *Enni*

Fragmina collegit? noruntne Poemata *Nattæ*?

L. Tu (ad *B.*) rem rite tenes; nam tota, hunc excipe & il-
Turba Togatorum *Lodoici* partibus adſunt, [lum,
*Romanis*que favent Aris, ſtudioque maligno
Pacem optant quocunque modo, reducemque *Jacobum*.

J. Te (ad *L.*) potius *Batavis* malefide paludibus ortum
Crediderim, Nauta genitore, olidove Subulco.

B. Ne, Socii, ne tantam animis aſſueſcite rixam.
Culpari Tu dignus, & Hic, & quiſquis amaris
Aut *Batavos* dictis petit, *Oxoniam*ve Juventam.
Conſtet honos utrique ſuus: Tibi gratulor Artes
Ingenuas, *Rhedycina*, nec auſit demere Livor
Pieriam capiti Laurum, meritaſque Corollas:
Nec tibi, *Belga*, tuas, *Eoæ* munera terræ,
Invideo Merces; ventis, I, vela ſecundis
Pande, nec *Angligenus* remex comes ire recuſet.
Aſpera quæ petulans fundit convitia Vulgus,
Nil moror. (*J.*) At non hic ima de plebe *Quirites*,
Sed Procerum Chorus, & Patrum venerabilis Ordo,
Acceptæ memores *Pacis*, Præconia jungunt.

L. Egregium ſane factum! ſi, cum vocat Uſus,
Bis ſenos Proceres mane Uno Purpura veſtit.

J. Priſcane Tu (ad *L.*) Regum Jura, & ſacrata Coronæ
Imperia incuſas? licuit, ſemperque licebit

Regibus,

Regibus, exortem Meritis decernere Honorem.
L. Cum ſic *delirant Reges*, *plectuntur* Achivi.
Tempus erat, Procerum cum nondum largior æquo
Excrevit numerus; cum derivata vetuſto
Stemmate Nobilitas ornaret rite Senatum;
Tempus erat, cum res *Britonum* melioribus irent
Auſpiciis: tum cura Patrum, Te, Maxime *Cæſar*,
Nunquam deſtituit, nec ceſſit *Iberia Gallo*.
Tum memini obſequio plenas hinc inde *Tabellas*
Tradi, obteſtantes ANNAM, fidoque monentes
Conſilio, non ante feroci abſiſtere Bello,
Quam reddat furtiva coactus Sceptra *Philippus*,
Et late *Heſperiis* dominetur *Carolus* oris.
O! ſi nunc eadem Virtus, Geniuſque *Britannæ*
Pubi ſurgeret æquus! at *Anglis* omnia retro
Jam ruere, & peſſum ferri. (*B.*) Quin parce Querelis,
Parce, Puer, triſti Augurio; nec inanibus angant
Sollicitam curis incerta Pericula mentem.
Fas ſaltem ſperare *Anglis* rurſum omnia rivo
Tranquillo fluitura, manet fortuna tuorum
Nondum deplorata, & fors, venientibus Annis,
In melius mutanda, & habebunt Fata regreſſum.
J. Diis equidem reor Auſpicibus, Cœloque Secundo
Fixa Salus *Britonum*: viden' ut florentibus Otî

Artibus

Artibus ANNA favet, positis ut lenior iris
Mitescat *Lodoix*, quem non numerosa Juventus,
Non Anni domuere decem, non mille Triumphi.
L. Chartam tradis ob hoc, & in hoc tibi plaudis, inepte?
Scilicet expectas, veterem Ille oblitus ut Artem
Fœdifragus servet *Pacem*, jurataque Pacta?
J. Hos Ventis committe metus, Me justior urget
Cura domi, neque de rumpendo fœdere tantum
Commoveor, quantum Insidias horresco minaces,
Quas tua Turba struit, confisa rebellibus Armis.
B. Nescio quas *Lodoix* versat sub pectore fraudes,
Vel quo jure Fidem colit. At Commercia damni
Ne quid sustineant, metuo; nam supplice Voto
Huc illuc properant, importunisque Senatum
Sollicitant precibus, quotquot vel *Turcica* Ripa
Excipit, aut *Lusitano* de Littore Merces
Qui portant, genus omne, Emptores. (*L.*) Ergone nobis
Conjungi Auxilio, belli Sociusque vocari
Lusitanus amavit? an hæc in fœdera venit,
Ut vacuos Portus, desertaque Regna videret?
J. Insuavine igitur sese *Brito* proluet haustu,
Fœcibus æternum damnandus? condita cellis
Amphora *Campanis*, aut quam *Burgundia* jactat,
Sit mihi, neu mixtum cogar sorbere liquorem.

L. Te nempe intentum Cyathis Socialia Jura
Nil tangunt, nil pacta fides, & ſtantia Magni
Pocula. (*B.*) Sed Patrum mens provida rectius *Anglis*
Conſulit, *Heſperia* rurſum ſua vellera merce
Mutat, & Hoſpitio gaudet *Lisbona Britanno.*

J. Eſt mihi quæ alternis vulgatur Charta Diebus,
Mercator nomen dixere, bene indicat illa
Quæ Ratio mercis, quæ ſit Natura locorum,
Et quid quæque ferat Regio. (*B.*) *Mercator* an ille,
Deſcripſit tabulis totum qui Gentibus orbem,
Magnum *Atlantis* opus? (*L.*) Mihi nec tam larga Crumena,
Hoc Opus ut coemam, nec tam ſpatioſa *Lycei*
Atria, ut excipiant pluteis prægrande Volumen.

J. Idem Utrique Error: quem nos laudavimus, Author,
Non *Maris & Terræ numeroque carentis arenæ*
Menſor, ſed rerum experiens, & Mercuriali
Callidus Ingenio, ad cunctas verſatilis Artes,
Lucrandique Vias; docet Ille, quid Utile genti,
Quid minus expediens; Ille annua ſupputat *Anglos*
*Francigenas*que inter Commercia, & arbitrio æquo
Commoda certa *Anglis* ſtatuit, Diſpendia *Gallis.*

L. Hactenus erravi, fateor, ſed re bene penſa
Novi hominem & Mores; totam hic impune per Urbem
Mendaces ſpargit nugas, dictante Magiſtro.

B. Hæret in ambiguo mihi mens, neq; conſtat an (ad *J.*) Illi,
An Tibi (ad *L.*) crediderim ſecurus. (*L.*) Credulus Illi,
Nil facies unquam dignum ſapiente bonoque;
Quin Animos *Britonum* indomitos, & libera Colla
Coges ferre Jugum, & cuivis ſervire Tyranno.

J. Huic (ad *B.*) ſi credideris nimium, ſanctiſſima Legum
Vincula perrumpes, Regeſque Deoſque peroſus,
Templorum ritus, & Majeſtatis honorem
Cæſareæ impugnabis, & inviolabile Sceptrum.

B. Jurgia quo Vos plura movetis, plus Mihi pectus
Fluctuat, ancipitique agitatur Imagine rerum.
ANNÆ nil renuo ſolenni more *Libellos*
Ferre, ſed an Grates, interponamve Querelas
Neſcio. (*L.*) Forte ſcies cum deſperata *Britannûm*
Fata miſer videas, nec Conditionibus æquis
Pactam, nec Patriæ quid dantem optabile, *Pacem.*

J. Si (ad *B.*) libeat Plauſus inter miſcere Querelam,
I, roga, ut immiti nudet ſua terga flagello
Seditioſa Cohors, ut Leges, Pœnaque lata
Scribendi reprimat Cacoethes, & impia Preli
Libertas juſto incipiat ſub limite claudi.

B. Non Opis eſt noſtræ veſtras componere lites,
Non ea Vis animi: ſed quod conamine vano
Aggredior, volvenda dies fors afferet ultro.

ANNÆ PACIFICÆ.

Ite igitur Juvenes, & junctis viribus ANNAM,
Officioque pari defendite. Nulla Simultas
Cordibus infideat, ſed, uter ſit amantior ANNÆ,
Unum eſto Certamen. Ego Votiva parabo
Scripta, nec ambiguus mentis, formidine vana
Diſtrahar ulterius. Quid non ſperare licebit
Sub tali Auſpicio? populo dum Jura volenti
Edicit, Cœli Cura & Spes una *Britannûm*,
ANNA, *Stuartorum* Soboles: dum fida miniſtrat
Conſilia *Harlæus*, dubio ſuccurrere ſeclo
Natus, & *Angligenis* firmare immobile Sceptrum.

COMITIA IN HONOREM

Furor Guiſcardianus.

SI poſſem Vobis, Academici, eximii Illius Viri, de quo verba jam ſunt facienda, Incolumitatem eadem dicendi celebritate gratulari, qua ſalvum Eum olim Senatui ſuo reſtitutum gratulatus eſt Orator & Illius ſimul & Noſtri amantiſſimus; haud ſcio equidem, an quicquam ſive hac Solennitate dignius, ſive Vobis omnibus gratius excogitari aut proferri poterit. Cui enim rei, vel levioris momenti, in florentiſſimo hoc noſtro Imperio (ſi modo leve dici poſſit aliquid, aut exiſtimari, quod Reipublicæ ſalutem quoquo modo attingat) non proſpexit latiſſime Ejus diffuſa Providentia? Quæ Vis Animi minus excellens ad res graviores ſuſtinendas par eſſe potuit? Quemadmodum etenim Officium eſt Prudentiſſimæ PRINCIPIS Regnum conſiliis Suis gubernare, ab Hoſtium vero impetu conſervare, Vigilantiſſimæ; idem autem tum gubernando Juſtitia, Religione, Doctrina, cæteriſque Civilibus Studiis ornare, tum conſervando Fortitudine, Spoliis, Triumphis & omnibus Belli terra marique Inſignibus amplificare, plane Divinæ: ita Veteratorum Integumenta evolvere, Machinationes eludere, Audaciam comprimere, infirmam & laborantem Rempublicam reſtituere, reſtitutam Legibus ſtabilem & Virtutibus inſignem reddere, Ejus eſt unice, quem Natura ad Ingenium, quem Diſciplina ad Honeſtatem,

tem, quem Conſuetudo ad Prudentiam, quem Omnia denique finxerunt ad ampliſſima Munia cum ſumma Dignitate & Laude obeunda.

Quod ſi univerſos jamdudum ceperit tanta hujuſce Viri admiratio: quanta, Academici, quanta Illum merito proſequemur, cum in domeſticis atque exteris quibuſcunque negotiis peragendis, tum in detegendis ſimul Hoſtium inſidiis, pari Gloria & Fortuna verſatum! Quorſum igitur Hoſtes clandeſtinæ vi pecuniæ aditum habebant, non tantum in Regnum, in Urbem, ſed in ipſos etiam intimos iſtius Domicilii parietes, ubi abditiſſima regnandi Arcana Literis mandantur: cum ſemper Ei fuerit tanta cura & ſagacitas, ut ſiqui aliquando Patriæ parum fideles extiterint, ſuſpecti protinus fuerint, & deprehenſi? Infamem quid ego memorem *Greggium*, (inviſum cujus Nomen vel proferre jure quidem hæc dedignetur Oratio) qui, homo utcunque perfidioſus, conſcientiæ tamen ſtimulis adactus, egregium hoc probitatis nondum penitus extinctæ ſpecimen dedit, quod nec precibus, nec oblata honoris, pecuniæ, vel ipſius quidem vitæ conditione, nec præſenſione denique futurorum cruciatuum, adduci potuerit, ut Suſpicione ſceleris Illum contaminaret, qui ſemet Dominum ipſi benigniſſimum, Reginæque pariter & Patriæ Civem fideliſſimum, nunquam non præſtiterat? Unius *Guiſcardi* Perfidiæ quæ una par poteſt inveniri Oratio? *Greggius*, quan-

tum potuit, prodebat Patriam; Gentem *Guiſcardus*, qua humaniori longe atque indulgentiori, quam ſui-ipſius Patria, utebatur.

Quod ſi quantum Perfidiæ ad prodendos Eos, qui liberaliſſimo illum Hoſpitio acceperant, tantum Calliditatis potuiſſet in ſe defendendo adhibere: nullo tamen aſtu, nullis artificiis, Pœnas tanto Crimini debitas evitâſſet. Quandoquidem Res iſtiuſmodi Viris in diſquiſitionem veniebat, qui cum *Anglicanis*, atque adeo ſapientiſſimis omnium gentium, legibus vel ſanciendis vel adminiſtrandis ſæpius præfuiſſent, prædiți fuerunt talibus aculeis & nervis forenſibus, ut callidiſſimorum eadem cum facilitate atque innocentiſſimorum animos perſpectos haberent. Probe hæc novit, & tandem ſenſit, verſutus Parricida. Quæ tamen cum ſentiret, interceptas nimirum eſſe Tabellas Conjurationis conſcias, Indiciaque totius Proditionis inventa penitus, & explicata: tum ille ſubito, ſive immanitate Sceleris, ſive metu Supplicii, ſive inveterato in Eos, qui tunc Rerum potiti ſunt, Odio demens, præcipitatus eſt & ſibi ſimul & univerſis palam facere, quæ nobilis Pertinacia, quod obfirmatum Virtutis ſtudium in *Harleii* pectore lateret, per quod Hic reſiſteret maximis cujuſlibet generis corruptelis & muneribus, quorum ne minimo quidem Ipſe reſiſtere valebat. Protinus enim *Harleii* pectus ferro forte arrepto petiit: *Harleii*, qui *Mario* (utut in cæteris diſſimillimus)

Aſpectu

Aſpectu & Majeſtate ſimilis fuit, quem gladio tamen, quamvis ad inermem illum interficiendum cum authoritate & mandato miſſus, non auſus eſt violare & Carnifex & *Gallus*. Cumque perciperet Pectus Vulneri alicui poſſe, cujus Animus nulli unquam novit ſuccumbere, Plagam denuo nefariam iteravit. Et quod cumulata Dementia ſuggerebat, tantum non effecit Audacia. Totum jam etenim ferrum, una cum mucrone primo ictu effracto, in corde fuiſſet reconditum, niſi in ipſo impetu ab Illis ei de manibus eſſet extortum, quos ad cædem proximos oculis animoque deſignaverat: ab Illis, qui per varios fortunæ caſus eadem ſemper cum *Harleio* neceſſitudine conjuncti ſunt, qua inter ſe Virtutes connectuntur, quas Ipſi colunt & exornant.

Atqui ſi ex tenui hoc quaſi aſpectu nondum Vobis manifeſta ſit, Academici, ſumma Flagitii Atrocitas: cogitatione mecum fingite miſeram Rerum noſtrarum Imaginem, ſi modo ingratus hicce Sicarius, proſpero ſcelere, ſupremum Illi diem attuliſſet. Fingite Rempublicam Senatu, poſt hominum memoriam Reipublicæ, Eccleſiæ, Reginæ amantiſſimo, atque in temporibus propter Multorum avaritiam & perfidiam difficillimis, certa ac uſitata Vectigalia exigendi ratione caruiſſe. Fingite deinceps Eccleſiam Filiis deſtitutam, qui publico non ſecus, ac antea privato, ſtudio & pietate ſeipſos præſtarent tanta Matre digniſſimos: Filiis, qui eam contra Fanaticos & Prævaricatores,

Indul-

Indulgentia in ſe ad Licentiam, Libertate ſua ad Inſolentiam abutentes, & poſſent, & vellent, & auderent defendere, & qui Ejuſdem Dignitatem cum Civili Salute, Utilitate, Amplitudine non modo optime conſtare, verum quam intime eſſe conjunctam demonſtrarent. Fingite, inquam, & Rempublicam & Eccleſiam innumerabilibus aliis emolumentis, ornamentiſque caruiſſe, quæ utraſque jam reddunt, ut Nobis ſint oſtentationi, Pluribus invidiæ, Omnibus admirationi. Sin autem ex eo, quod tantis hiſce beneficiis quotidie fruimur, non poſſumus percipere, ſive quæ ſit vera eorum magnitudo, ſive, iis ademptis, quam plane miſeri fuiſſemus: fingite Nos præterea, non tantum Gratulationibus hodiernis, ſed & ipſa Gratulationum occaſione caruiſſe. At neque hæc ſolum, verum etiam fingite demum, & Rempublicam & Eccleſiam ſuperbiſſimo adhuc Eorum dominatui paruiſſe, qui, amicitiæ perſona induti, tutius & facilius labefactaſſent utriuſque fundamenta; & ad illum fortaſſe ſtatum tandem perveniſſe, quem perhorreſco memorare; ad ſtatum Præſenti quam maxime diſſimilem, in quem pro Juſtitia Rapinæ, pro una eademque vera Religione fucata Superſtitionum Species & Farrago, pro *Pace* honorificentiſſima Bellum teterrimum, pro ſumma rerum omnium Ubertate ſummæ Calamitates ſubiiſſent. Sicuti enim olim munita eſt via ad conculcandam Eccleſiam cæde Archiepiſcopi vigilantiſſimi atque optimi, &

ad excidendam Regiam Majestatem percussione celeberrimi *Buckingamiæ* Ducis à *Guiscardo* prorsus altero ita *Harleii* interitu tunc fuisset munita & ad Hanc & Illam deturbandam, conculcandam, excidendam. Esto autem, Ejus interitum communi alios naufragio non absorpsisse: at Nobis tamen & Regno, utcunque Literis florentissimo, defuisset maximum Literarum Lumen & Ornamentum. Ut silentio enim præteream vitæ Ejus vel privatæ Elegantiam, vel publicæ Splendorem, quicquid est uspiam in Linguis Varietatis, in Hebræa Simplicitatis, in Græca Abundantiæ, in Latina Majestatis; quicquid est uspiam in Philosophia subtilis, in Mathematica profundi, in Poesi elegantis, in Oratoria sublimis, Ingenii; quicquid est uspiam in Copia literaria, & in quo unico alii vix sperant eminere; ea prorsus omnia in Hoc uno cum egregia Sermonis Venustate, cum summa Morum Suavitate, cum omnibus denique Virtutibus, quæcunque solent hominem vere clarum & illustrem reddere & indicare, conjuncta intuemur ac admiramur.

Hæ sunt Imagines, Academici, quas, etiamsi minus graphice, nec fortasse satis pro rerum dignitate ad vivum depictas, libuit tamen Vobis ob oculos exhibere! quæ quo funestiores sane videantur, & festivæ huic Diei minus convenientes, eo magis, utpote tantum fictæ, Solennitatis hujusce Lætitiam adaugent exaggerantque.

Verum enimvero si per plagam rursus acceptam posset

Harleius in Furias quaſqne & Peſtes Reipublicæ cædem illam retorquere, quam ipſæ induſtria non ſecus, ac ſimultate perpetua in Rempublicam machinantur: eſſet profecto, quod Is glorietur ſe Patriam ab hoſtibus liberâſſe, parum, quod Nos idcirco gaudeamus. Quid enim opus eſt, ut Is vel in minimum diſcrimen adducatur, vel patiatur iterum dolorem; (quamvis utique poteſt Ille, magnitudine animi innata & confirmata fretus, vel ſummum lenius pati dolorem, quam ego valeam eum duntaxat referre) ut homines nocentiſſimos opprimat, quorum, ſi ſalvus maneat, vim tandem omnem penitus extinguet? Sit *Curtii Romanis*, ſit *Deciorum* Mors chariſſima: longe quidem Hujus Vita Nobis charior.

Vobis itaque alii *Pacem* gratulentur; *Pacem* omnibus ſemper gratam, Nobis vero, poſt innumerabiles domi foriſque difficultates aliquando tandem ſuperatas, gratiſſimam: Mihi ſatis eſto, Academici, quod Vobis gratulatus fuerim Incolumitatem Viri, & antea ſane Illuſtris, & ab hoc Ictu, in Vitam fortaſſe vel ipſa *Harleiana* Sanctiorem deſtinato, adhuc Illuſtrioris; Viri, cujus periculo & Reginæ Salus & Veſtra periclitata eſt, cujus Salute & deſideratiſſimæ Reginæ & Veſtra omnium continetur Salus.

ANNÆ PACIFICÆ.

CONCENTUS SECUNDUS.

Preli Academici Immunitas.

D. AUguſtas *Sheldoni* Arces, habitataque Muſis
Atria, ſuſpenſaſque trabes, pictumque Lacunar,
Sæpe Poetarum cecinit Labor; Æmula cœlo
Mœnia *Bodlæi*, atque *Aſhmoli* Rara ſupellex,
Omnia jam vulgata: vocant Nova penſa Camœnas
Oxonias, ævo non exaudita priori.

C. Noſtin' quæ nova narrat? an huc Elephaſve, Leove
Advehitur, Vituluſve biceps, ſpectacula Regum
Digna oculis? (*H.*) An fors *Rheni* trans oſtia Pugnam
Commemorat, *Celtas* inter torvoſque *Sicambros*?
D. Nil, Juvenes, nil horum agitur: mihi nec (tua (ad *C.*) Monſtra,
Nec tua (ad *H.*) Bella placent; me docti pulchra *Lycei*
Delectant Spatia, & noſtris Spes addita Muſis.
Cernite, ut ærium caput inter nubila condit

Literulis

Literulis ſacrata Domus, ſpecioſa columnis
Ritu diſpoſitis juſto, patuliſque feneſtris
Phœbææ excipiens radiantem lampadis ignem.
Intus mille Typi, Cellaſque hinc inde locatas
Centum Capſæ ornant, Arnamentaria Preli.
Quare agite, O Socii, totas impendite vires
Muſarum ſtudiis, doctos genus omne libellos
Fas ære exiguo conquirere, libera Vobis
Ad Famam, faciliſque via eſt; jubet ANNA Tributo
Exempta *Oxonidis* pulchre Exemplaria cudi,
Immuneſque fovet Dea Vectigalibus Artes.

H. Parcius hæc, bone Vir! Certe nil tale fatetur
Bibliopola *Tryphon*, cum Creditor oſtia pulſat
Primo mane, ferens Chartam, Nummoſque repoſcens:
Improbus ille urget precibuſque miniſque, nec unquam
Aut minuit Pretium, aut Solvendi prorogat horam.

O. Scilicet iſtud aves? pretio ut leviore parentur
Scalpellum, calami, atramentum, charta, libelli,
Frivola Merx? Noſtris cum decreviſſe Tabellis
Vix Aſſem experior, quoties ſua Debita Caupo
Exigit, aut rotulam Sartor fert ſeſquipedalem.

H. Artibus ecquis Honos, ecqua Indulgentia? cum Te,
Seu fidus Populi Cuſtos, *Conſor*que *Britanni*,
Seu *Neſtor* dici mavis, cum Te, optime Scriptor,

Octavo quadrante minor non poſſidet Emptor.
Tempus erat, cum Te pueri innuptæque puellæ,
Inter matutina ſedentes pocula, mixtim
Dimidio legerent Pretio. (*C.*) Fuit inclyta quondam
Gloria *Roperi*, gnari vexare Rebelles,
Infidoſque greges; tamen hunc, ſi rite recordor,
Tot ſalibus pollentem, unus mihi præbuit aſſis.

D. O Hominum ignaræ mentes, quas ſplendida rerum
Delectat farrago, & hiantis fabula vulgi!
Scilicet is Procerum Labor eſt? ea Cura Senatûs
Pectora ſollicitat, perituris parcere Nugis?
Majus Opus movêre Patres, genteſque remotas
Demeruere pio Officio. Jam quicquid *Idume*,
Tellus grata Deo, pluteis cuſtodit opertis,
Quicquid in occultis *Arabes* clauſere tabellis,
Annoſo deforme ſitu, prometur in auras,
Et noſtra *Eoi* exercebunt Prela Labores.
Nunc Genii quæcunque manent monumenta *Latini*,
Magnum *Auguſtæi* Decus ævi; aut *Græcia*, fandi
Prima Parens, priſcæ retinens veſtigia Famæ,
Si quid ſervat adhuc, ea transferet Omnia cellis
Oxonidum, tradetque Typis ſtudioſa Juventus.
Artibus his Animum, totam huc advertite Mentem.

H. Artibus his? unde ergo ſciendum *Europa* tumultus

Quos moveat ſedetve; aut quid trux *Sarmata Turcis*,
Suecis Turca minax intentet? Et inſcius horum
Quid faciam? vel quo lepidos Sermone Sodales
Mulcebo calices inter, plaudente popina?
C. Unde Ego teſſerulis, aut pictis ludere chartis
Sperem, exin damno immunis? ſi duplice nummo
Chartula ſit venalis, & alea jacta fritillo
Quinis ſtet ſolidis? His Vectigalia demant
Mercibus, & quodvis Pretium ſuperaddere Libris
Pace mea pergant Proceres. (*H.*) Ego Diis Patribuſque
Angliacis habeo grates, quod amica *Dyero*
Detulerint ultro Suffragia, nec tua Scripta
Taxarint, Vir magne, novo, ceu cætera, Sumptu.
Te ſine, nec nocturna coire ad Pocula Cives,
Nec garrire Senes. Tua Pagina miſſilis exit,
Nocte docens Equitem, quæ narrat mane Colonis.
C. Nil Mihi cum veſtris, Scriptorum turba, Libellis,
Seu *Graii*, *Latii*ve fuant, native ſub Axe
Arctoo, *Occiduiſ*ve Plagis. Mihi nobilis Uvæ
Purpureæ Liquor, & Cerealia Pocula cordi;
Sat noſtræ valuere Preces, ſi *Gallica* tandem
Vina vehi aſpiciam *Thameſinum* impune per amnem:
Hæc menſis ſi Vina fluant, ſi libera Cenſu
Hordea tingantur lymphis, nihil amplius opto.

D. Vina ſua, & nitidos habeat ſibi *Gallia* Libros,
Quos *Stephani* ingenioſa manus, *Luparæa*que cudunt
Tecta, *Ludovico* florentes Auſpice Sedes.
Non opus *Oxonidis* aliunde Volumina paſſim
Quærere, & externos pluteis inferre Labores:
Nobis cuſa domi præſto Exemplaria, noſtræ
Artis Honos, vigili Cura, juſtoque Nitore
Culta, *Palatinus* quibus exultaret *Apollo.*

H. Non *Stephani* Curam, caſtigataſve requiro
Plantini Tabulas; nil Ductus Literularum
Exactos moror, aut immunem Erroribus *Aldum.*
Sit licet Exemplar vitiis imitabile, non me
Offendunt centum mendæ, modo *Turcica* pellis
Adſit, & à tergo auratus mihi fulgeat Author.

C. Et Me Muſæi multo ſpectabilis auro
Ornamenta juvant; mea circum ſcrinia ſplendent
Mille Libri, ſervantque ſuas juſto ordine Claſſes.
Hinc Oratores, Roſtri Decus, inde Poetæ,
Deliciæ Muſarum, atque, ingens turba, Sophiſtæ.

H. O Hominis durum os! Tu Rhetoras, atque Sophiſtas,
Tu doctos Vates, *Phœbæa*que Munera jactas,
Nec ſtudio Citharæ, nec Muſæ deditus ulli?

C. Sunt Mihi, quæ præſens, quæ poſtera diliget ætas,
Nomina Scriptorum; ſed nec mihi Bibliopola

Vendidit

Vendidit ære dato, excuditve Typographus; omnes
Hos bene fallaci deſcripſit arundine Pictor.

D. O quam culta Domus! Domino quam digna ſupellex!
At non in noſtris tituli mendacis honores
Proſtant liminibus, vacua neque ludimur umbra:
Nos vera oblectant, fucoque carentia Scripta.
Induit en! priſcum, cœlo plaudente, Nitorem
Divinum *Clementis* Opus, quod læta *Canopi*
Excipiet terra, & ſeptemplicis Accola *Nili.*
Tuque adeo, *Abramidum* qui Bella & Fata perenni
Mandas Hiſtoriæ, Tu qui *Judæa* recenſes
Acta, ſagax Author, noſtris limatior exis
Porticibus, *Solymæ* Genti, Temploque ſuperſtes.

H. Scilicet iſtud Opus coemat *Judæus Apella,*
Non Ego; namque mihi *Septem* ſuper orbe potentum
Facta placent *Equitum,* qui Monſtra horrenda, Giganteſq;
Impaſti domuere; & Tu, Spolia ampla Draconis
Indutus, Princeps turmæ, fortiſſime *Georgi,*
Angliacæ Gentis per ſecla noviſſima Cuſtos.

C. O Ego, ſi Titulo forſan donatus Equeſtri,
Arthuri aſſideam dapibus, Menſæque Rotundæ,
Deſpicerem, dum terga boum fumantia mando,
Socraticas epulas, compotoremque *Platonem.*

H. Ergo erit ille dies? cum Par prænobile Fratrum
Durfeius,

*Durfeius Tatu*ſque, revinctus tempora Lauro,
Lectori leviora ferent Impendia Vates.
Cum *Pax* mille Lyris cantata, Epicæque Poeſis
Majeſtate nitens, parvi venalis emetur.

C. Ne Rhythmo in triviis cantent impune Poetæ,
Judice me, nec *Pax* regnis, neque Fœdera ſunto.

D. Ignibus hæc, tenebriſve. At ſi nervoſa *Catonem*
Pagina quæ tradit Scenæ, feliciter audax,
Prodeat immunis Cenſu, nil reſpuo. Non Tu,
Magne Poeta, humiles inter numerabere Vates,
Quos hodierna dies parit, obluctante *Minerva.*
Altius inſurgit Tua Muſa, atque æmula *Graiis*
*Romanis*que nitet, decieſque audita placebit.

C. Vidi ego, *Romana* cum jam Gravitate verendus
Ingrederetur atrox Scenam *Cato,* cum ſibi Lethum
Conſcierit torvus, robuſtaque pectora ferro
Nudarit; fruſtra prohibent, fidum agmen, Amici,
Et moritura ſuper crudeli Vulnere *Roma.*
Intus agit ſtimulos, Animumque incendit honeſtum
Libertatis Amor, Lethoque interrita Virtus.

H. Vidi ego clamoſi moderantem fræna Theatri
Te, *Britonum* Cenſor, Specioſaque Dicta notantem,
Et Plauſum regere, & turbæ dare Jura ſequaci.

C. Huic uni forſan potui concedere Vati

Cenſibus abſolvi; reliquis indico Poetis
Perpetuum Bellum. (*H.*) Saltem ſis mitior Hoſtis
Verſibus his, & parce tuæ noſtræque Camœnæ.
Hanc veniam *Oxoniis* indulget provida Muſis
Curia, Conſultique Patres; nec reſpuit ANNA
Officium tenue, & levium Conamina Vatum.
C. Demite & his Muſis, Me non renuente, Tributum,
Si libeat; ſed quis tam grati Muneris Author,
Dicite qui noſtis; nam Me Tua Gloria tangit,
Chara parens *Rhedycina*, nec ad Penetralia Sacra
Lætior acceſſit quiſquam, nec amantior Hoſpes.
D. Hæc, Juvenes, pia Dona, hæc Indulgentia Veſtro
Debita *Bromleio*: Vos O! celebrate potentis
Eloquii Vires, votivaque Carmina pangat
Muſarum Domus, & charum reſonantia Nomen
Aonios iterent Plauſus *Sheldonia* Templa.
H. Nec Te, fida meæ nuper Tutela Juventæ,
Sancte Pater, quo jam *Roffenſis* Mitra ſuperbit,
Immemor Officii reticebit Muſa, Typorum
Fautorem *Oxonidum*, Columenque Decuſque Camœnæ.
Tu cœpto aſpirans Operi, Conſulta Senatûs
Rite ſecundaſti nobis felicia; ſemper
Muſarum memor, & ſemper memorandus ab Illis.
C. Sed nec Ego Citharæ tam averſus Cantibus, ut non

Te,

ANNÆ PACIFICÆ.

Te, Vir magne, tuumque ſonent mea Barbita Nomen.
D. Bodlæi gaudete Lares, Laquearia totos
Expandant jam veſtra Sinus, Gremioque capaci
Excipiant plenis congeſta Volumina Thecis.
Veſtris ſtructa novo parat addere Mœnia ritu
Porticibus, Medicam callens magis omnibus unus
Artem *Ratclivius*; veteris memor Ille Parentis
Æternum hic ſtatuet Monumentum & Pignus Amoris.

COMITIA IN HONOREM

Prelum Liberum.

LIbertatem Scribendi, quam multa cum laude & ſingulari omnium utilitate ſemper retinuiſtis, Academici, nunc denuo Vobis ſumma cum contumelia ereptum iri merito indignamur. Crediderам ſane nondum eo infelicitatis eſſe ventum, ut Triumphos ſerio ageret Hoſtium ſæviſſimorum impotens Licentia, cum viderit nullam ſibi pœnam potuiſſe excogitari, niſi quæ Literis ſimul, & egregiis Literarum Luminibus, fuerit ſubeunda. Si tamen caſtius ſimus victuri & integrius, ſi Eccleſiam, aut ſanctiorem, aut paucioribus oppugnatam hoſtibus, habituri, è medio tollatur tantopere inviſa Preli Libertas. Quod ſi incerta ſpes certiſſimo damno fuerit redimenda, &, dum Innocentiæ Morum & Eccleſiæ Saluti ſtudeatur, utraque cum Literis ſint peritura, cavete profecto, ne his conſiliis iſta, cui remedium paratis, creſcat indies hoſtium Petulantia.

Prodeat in lucem, ut Fraudis arguatur, & Mendacii. Prodeant Athei, Schiſmatici, Hæretici, & cum iiſdem Hoſtibus aperto Marte confligamus, quos ipſa Viſcera Eccleſiæ ex inſidiis lacerantes tam diu negligimus. De Fide, de Legibus, de Adminiſtratione Regni, de Succeſſione etiam, ſi Diis placet, libere diſceptatur, dubitatur impune: Quidni

&

& ſcribatur? Nihil noſtræ vel Religionis vel Politiæ acutiſſimos Malevolorum oculos refugiet. Egregias fraudum & perverſæ induſtriæ laudes illis concedamus; Rationum tamen Ponderibus & Momentis nunquam erunt æquales; Dum tot eximios Viros, Ornamenta Seculi & Eccleſiæ Præſidia, quotannis Veſtra Cura ſuppeditat, ſive reprimenda Audacia, ſive retundenda & retorquenda ſint eorum Sophiſmata, nunquam non paratos. Sinite, eadem permaneat Neceſſitas legendi, diſcendi, laborandi, unde Ipſorum acuantur Ingenia, Scientia augeatur, confirmentur Mores, eniteat Eccleſia, Reſpublica decoretur.

Puriorem Schiſmatici jactent Religionem; Doctrinæ & Pietatis glorioſa Oſtentatione ſuſtentetur Hæreſis; Verborum Lenociniis Athei depingant, quam mirantur, Licentiam; Perfectiſſimæ Suæ Rationis dictamina Sacris Literis præponant; Virtutem pro viribus agant in exilium; nemini tamen iſti Mores arridebunt, niſi cui diu multumque ante in Vita, quam in Scriptis, viſi ſunt decori. Imo, in quo uno omnes conſentiunt, Opprobria Nobis affingant, Conjecturas malignas augeant in vera Crimina, id tandem effecturi, ut, qui in altiſſimis Dignitatis gradibus collocantur, intelligant ſibi ab omni etiam Suſpicione criminis eſſe abſtinendum. Hac potiſſimum Ratione perducta videtur Academia, ut, Solenni hujuſmodi Tempore, Homi-

nibus omni turpitudinis nota insignibus olim aliquando permiserit, in Clarissimos Viros, Gravitate, Doctrina, Pietate nobiles, Probris Mendaciisque debacchari; quos Famæ suæ non minus quam Modestiæ valedixisse constat, dum Optimi cujusque, quantum scurrili dicacitate possunt, exagitant Virtutem, & pervertunt Gloriam.

Nolite tantam gloriandi ansam perditissimis Viris præbere, ut optimæ Causæ videamini diffidere. Præsertim cum id suspicentur Omnes, aliquid veri subesse, ingrati licet, quod viderint tanta supprimi Industria. Quod si nihil Vos ab opinione suscepta dimoveat ista, falsa licet, at fortasse non contemnenda, Suspicio, pergite doctissimis Viris Curam Preli mandare, quibus, dies noctesque in Libris ad nauseam usque perlegendis desudantibus, optimum quodque meditandi scribendique tempus auferatur, ut id saltem Boni, quod ab eorum Laboribus maximum potuit derivari, totum perire sit necesse.

Ecquis vero Ingenio esse possit ita ad Servitutem composito, ut Indoctorum insolentiam patienter ferat, qui, quo minus Judicio Scientiaque valeant, eo graviorem Tyrannidem, cum singulari Impudentia & intolerabili Superbia, sint exercituri? Ex eorum Nutu Scriptorum fata pendebunt? Hos Vestri insignes Alumni, tanquam infimi ordinis Clientes, orabunt, supplicabunt, cum magno

gnd temporis diſpendio, & ſæviſſimæ Injuriæ indignitate?

Gratulamur quidem Pietati Veſtræ, quod bonis Artibus ſemper ſtudentes nihil edideritis, quod cuiquam, niſi nuper communibus Patriæ & Veſtrûm inimicis, unquam diſplicuerit. Quod vero, pulcherrimum Sanctorum Voluminum Exemplar Typis mandando, Novæ Officinæ primitias Deo conſecratis, fidem facitis Vos Optimam Eccleſiam eodem ſemper Studio eſſe defenſuros, quo hoſtium ingruentium Impetum ac Furorem ſæpius excepiſtis. Quod ſi omnia Noſtratium Prela Veſtris quam maxime eſſent ſimilia, parum tamen irruenti Scelerum Moli obſiſteretur; dum Exteri, quorum aut Avaritiæ nihil ſanctum, aut Religioni nihil ſceleratum videtur, fœdiſſimam peſſimorum Librorum farraginem ſint importaturi.

Huic Peſti ea ſola poteſt adhiberi Medicina, ut Indicibus Libri expurgentur, irrogentur ſæviſſimæ pœnæ, ſiquid præter normam dixerint: Illorum veſtigiis inſiſtatur, qui doctiſſimos olim Viros, Humaniores Literas inſtaurantes, alios ab honoribus cum infamia pepulerunt, alios carceri incluſos, abjurata prius, quæ illis videbatur, Hæreſi, vix tandem misêre in Libertatem. Eo enim nomine, quicquid miſerandæ Monachorum Inſcitiæ, & animo præjudiciis depravato, non ad amuſſim convenit, damna-

tur

tur & punitur. His artibus miſere Veterum ſcripta lacerantur: Recentium mutantur, exulant, comburuntur. Ita cœpta Reformatio ceſſavit; Renovata potuit periiſſe: His inſidiis Chriſtianam Veritatem importuniſſimi Hoſtes cenſebant extinguendam; iiſdem nunc dierum, apud ſimulatos ipſius amicos, circumventa opprimitur. Hac ſi pergamus, magna profecto ſpes affulget futurum, ut aliquando tandem, cum maximis peſſimorum triumphis, acerrimi Literarum Propugnatores ad Ignorantiam, & florentiſſima Reformatorum Eccleſia ad priſtinam Superſtitionem, gradatim revertamur.

At certe meliora ſpondent nova Veſtra Ædificia, ipſius *Theatri* fere æmula; quæ cum Eccleſiæ & politioris Humanitatis Incremento dedicaſtis, id videmini promittere, Prelum nemini clauſum fore, dum Fanaticorum Pervicacia quicquam habebit, ſive Rationis, ſive Nugarum, quod opponat; dum Novæ artes excogitari, Veteres provehi poterunt, & exornari; dum *Britanniæ* Triumphi Materiem ſcribendi præbebunt, & uberrimis Ingeniis florebit Academia.

Prelum Clauſum.

SI nihil in apertum prolatum eſſet, nihil Literarum monumentis traditum, niſi Ingenio perfectum, niſi induſtria elaboratum, niſi accuratiſſimo Judicio limatum & perpolitum, perlubenter equidem confitendum eſſet, quo frequentior Voluminum prodiret Numerus, eo majorem Reipublicæ Gloriam acceſſuram. Cum funeſtum vero Scribendi Cacoethes eouſque graſſatum fuerit, ut ingens velut Torrens tandem feratur, & tum Humana, tum Divina promiſcua habeat; Cum Satyra, (Virtutis olim Præſidium) refractis nunc Pudoris & Reverentiæ Clauſtris, omni quod Honeſtum eſt, aut Decorum, nefarium Bellum indixerit; commovetur profecto nobis animus; tam Publico Malo remedium eſſe adhibendum, & peſſimis Mortalium Injuriæ Licentiam eripiendam, neceſſe eſt ut contendamus.

Quouſque tandem furioſi perditique homines, non ſine graviſſima Virtutis jactura, exercebunt Ingenia? Quouſque antiquarum illuſtriumque Familiarum Famam maligno rodent dente, & calamis Veneno imbutis polluent Viri, qui ſibi ſolis videntur Facetiis conditiſſimi? Quamdiu ornatiſſimas Matronas, & amabilem Virginum Mo-

deſtiam ſcurrilibus Jocis inſectabuntur, & Convitiis ex trivio arreptis violabunt? Muſas video (Muſas vobis ſemper merito dilectiſſimas) ad hanc ſuam Sedem venerandam confugientes, & adverſus flagitioſiſſimam Natorum ſuorum Impietatem Opem Veſtram implorantes; quippe qui nullis Legibus, nullo Pietatis, aut Humanitatis Vinculo conſtricti, Jura & Fas omne ſubvertunt, docent Homines Adulteria, dum fingunt, & ſimulatis ſtupris ducunt in vera.

Intra hos vero Limites non ſeſe cohibet, ſed ulterius pervagatur, Peſtis. Quotidie enim inceſtis mandantur Typis famoſi Libelli, qui *Hæreditarium Jus* de Solio audent deturbare, & ab Infima Plebe ſummam Poteſtatem derivare. Hujus equidem pulcherrimæ prolis Parentes in læſæ Majeſtatis crimen impune incurrunt; conſultiſſimos Rerum Publicarum Adminiſtratores Inſcitiæ, Perfidiæque arguendo, Populo placent; & niſi opportuna Rerum Viciſſitudo contigiſſet, ſatis idonei haberentur, quos Senatus Præmiis nobilitaret.

Neque interea à Sacris Religionis noſtræ Myſteriis abſtinetur; Athei & *Socini* aſſeclæ ſuorum Dogmatum Portenta diſſeminant, & alicujus nominis Viri exiſtimantur; Hæreticorum & Fanaticorum ſcripta paſſim leguntur, & laudantur. Et de quodam Libro, ſaltem apud *Suos* celeberrimo,

berrimo, omnes ſerio triumphant Schiſmatici: qui, ſi Titulum ſpectemus, *Eccleſiæ Chriſtianæ Jura* præ ſe fert, mire comptus & ornatus; in iis vero impotenter impugnandis unaquæque Linea opera ſua miſere abutitur. Ad Sacerdotalis muneris Functionem Prophani Laici, ineptæque Anus admittuntur, multis Eorum non reclamantibus, ad quos imprimis pertinet Divinarum Inſtitutionum Tutela, nonnullis (proh Dolor!) Suffragantibus.

Alii tanto Veritatis inveſtigandæ Studio incenduntur, ut, omni procul amoto pudore, Majoribus ſuis nimium credulis fidem denegent, & Patrum, Conciliorum, imo & Sacræ Paginæ Autoritatem nihili faciant. Mirum eſt, quantum Ingeniorum ſuorum Acumini, quantum Rationis Perſpicaciæ tribuant, hujus farinæ homunciones; omnis Literaturæ elegantia ornati videntur, & omnes, quotquot ubique ſunt, tum Theologos, tum Philoſophos, præ ſeipſis vulgus autumant. Abſit quin Viri, tam exquiſita Ratiocinandi facultate præditi, ſibi propria fruantur cum ratione inſaniendi Libertate; ſed ne Fides, Probitaſque, cæteræque Bonæ Artes in diſcrimen vocentur, Prelo filentium imperetur.

Sed ſingulas iſtas Calamitates, quas in Eccleſiam, & Rempublicam effrænata Preli Licentia importavit, nimis longum foret recenſere. Inſtar omnium ſunt frigida illa,

&

& illiberalia Scommata, Paſtoris Curæ parum convenientia, quibus indignabundæ quædam Præfationes recens editæ locupletantur. Venerabilis Earum Author, utriuſque Academiæ Tutores, quorum Diſciplinæ nunquam ſeſe caſtigandum tradidit, ſocordiæ infimulat; & non ſine lacrymis, quæ ſemper in promptu ſunt, Univerſi fere Cleri Ignorantiam luget. Si tantopere in culpa ſint Academiæ noſtræ *Anglicanæ*, non eſt cur miremur illiteratos Artifices, & *Boreales* Circumforaneos toties Sacris initiari, & Juventutem noſtram apud *Batavos* Literarum ſtudiis operam dare.

At Vos, (Viri graviſſimi, ornatiſſimique) inter hæc Hoſtium tela, Virtutibus veſtris munitos probe ſcio, atque incolumes verſari; ſed ab Aliis etiam Periculum arcere debetis, nec diutius Malevolis hiſce veniam indulgere, omne damnandi quod ignorant, aut illos maledictis inceſſendi, quorum Argumentorum nexibus ſeſe non poſſunt explicare.

Si igitur ad Veſtram Dignitatem defendendam, ſi ad Majeſtatem Regiam inviolate tuendam, Labores ſummo cum emolumento ſemper olim impendiſtis; ſi hujus Muſarum Domicilii Gloriæ, ſi Patriæ, ſi Eccleſiæ, ſi Divini Numinis Honoribus nunquam adhuc defuiſtis, nunc etiam tota Gratia, Opibus, Eloquentia, atque Autoritate Veſtra adnitendum eſt, ad inſanam hanc Scribendi Pruriginem amoliendam, quæ penitus jam inſedit, & in Populi *Anglicani* nomine diu inveteravit.

Quum

Quum Hoc effectum dederitis; tum, Inimicorum injuriis diu multumque oppreſſæ, Virtus & Pietas quotidie magis efflorescent; Sacra Religionis noſtræ Myſteria non illudentur, ſed ubique venerationem conciliabunt: tunc omnes denique Muſarum Cultores ad caſtigatiſſimi Noſtri Poetæ laudes pervenire contendent, qui ſeculi nimium corrupti vitiis Magni *Catonis* ſeveram vitam oppoſuit, & ſatis declaravit, neque Virtutem, neque Camœnas pulchriores unquam emicare, quam cum ſe invicem comitentur, cum ſibi invicem Præſidio ſint, & Ornamento.

Hac tanta Felicitate Majores noſtri, melioribus obſtricti legibus, fruebantur, Hac tanta Felicitate (nec vana fides) nos etiam ſperamus fruituros; Deus etenim Opt. Max. imperantis ANNÆ Pietati & Gloriæ proſpiciens, tantis Victoriis, tantis Triumphis, & tam præclaro Fœderi, omnibus Triumphis præſtantiori, Domeſticum hoc Decus omni Laude, Prædicatione, Monumentiſque celebrandum, acceſſurum decrevit: Ut, cum ſub Optimæ REGINÆ Auſpiciis, Res feliciſſime geſtæ ampliſſimam Laudibus materiam ſuppeditent, nulluſque reſtet maledicendi locus, Veritatis Studium impenſe foveamus, omneſque *Pacis* artes diligenter excolamus, & grato animo (qua una Populus *Anglicanus* felicitate deſtituitur) omnium Bonorum affluentia lætemur.

COMITIA IN HONOREM

Dunquerca Delenda.

DIviſum Imperium Pelagi, dubiumque Tridentem
Tranſlatum ad *Morinos*, dudum doluere *Britanni*:
Ex quo *Dunquercam* pretioſo Fœdere *Gallus*
Addiderat regnis. Impune per æquora victor
Sæviit, illuſitque minaci inglorius Arce
Frendenti fruſtra *Britoni*, Divoſque roganti
Hoſtem, qui pugnet, mare nec detrectet Apertum.
Heu! quoties Nautam, rediens cum lætus ab *Indis*
Poſt varios caſus, & Tædia longa viarum,
Albos jam Scopulos & Litora nota reviſit,
Huc rapuere Hoſtes! Quos fudit pectore Queſtus,
Cum Spolia, ante oculos Alienis rapta puellis,
Auratas veſtes, & *Eoæ* munera Conchæ
Conſpiceret, Sponſis melius geſtanda *Britannis*?
Teutonicæ riſere Nurus. At Carcere iniquo
Ille Lares mœret patrios, Solemque requirit
Qualis Apes, ſuaves remeans cum plena Penates,
Fert onus Ambroſium, diſtentaque Nectare crura:
Hanc ſi forte ferox antro ſpeculetur Arachne,
Dira reluctantem per Propugnacula prædam
Raptat, & Hyblæis dapibus ſatiatur. At illam
Quid rutilæ heu! decorant Pennæ? Quid Aculeus armat?

Ster-

Sternitur; & dulces moriens reminiſcitur Alveos.
Fatalem, ANNA, Tibi, qua ſæpe ſuperbiit, Urbem
Dat *Lodoix*: Tanto firmavit pignore Fœdus.
Naturæ eluſas leges, Artiſque triumphos
Ut ſtupuit *Britonum* pubes! ſeu Caſtra profundum
In Mare porrecta, & munimina longa videret;
Sive novum Pelagus mediis ferveſcere vicis
Cerneret, inque Foro pictas innare carinas.
Nunc juvat immenſas Moles, æquataque Cœlo
Metiri Caſtella oculis; nunc deſuper undas
Proſpicere eliſas, & inanes æquoris Iras.
At veteres Dominos læto clamore ſalutant
Longævi *Morinûm* Patres, cum mœnibus *Angla*
Signa vident fluere, & notos fulgere *Leones*.
Tu tamen, elatas quæ tollis ad æthera Turres,
Tu, *Dunquerca*, cades; ſpatium factura coacto
Æquori, & ad ſuetas patieris volvier Oras.
Audio, ut ingenti Pontus convulſa fragore
Saxa vorat, Monteſque avidis immiſcet Arenis.
En! longas video ſtrages, moliſque ſuperbæ
Funditus everſæ latas fumare Ruinas.
Forſitan atque olim carpat ſuper Aggere ſomnos
Paſtor, ſulphureis condens armenta Cavernis:
Aut teneras viridi Munimine ſerpere Vites

Gau-

Gaudeat, effractiſque rubeſcere mœnibus Uvas.
Jam, latuit quondam queis Martis dira ſupellex,
Explorant caveas Pueri, innuptæque Puellæ:
Jam juvat innocuos Enſes contingere dextra,
Telaque, & haud ultra ſimulantes Fulmina Glandes.
Vibrati Virgo ſtupet imperterrita Ferri
Fulgur; & à Gladio tremulos vix flectit ocellos.
Sic Te, pulchra *Chloe*, (metuis tamen improba Amantem)
Dentibus avulſis, Anguem ſub veſte foventem
Sæpe furens vidi. Nunc Torquis circuit Ille
Collum, nunc cingit ſinuoſa Armilla Lacertum:
Subrides, radiante ſtola ſeu lubricus errat;
Sive, avidos melius quo Forma paſcat Ocellos,
Emicat in Gyros, maculoſaque corpora volvit.

ANNÆ PACIFICÆ.

Senatus Britannicus.

PAlladis armatæ fremitu, Bellique ruinis,
Turbineque ingrato, ſatis intonuêre *Theatra*,
Et tetricas dudum vexârunt Prælia Muſas.
Pompa ſubit melior, dum ſacra Silentia Pacis
Aonidas mulcent, dum mollior Aura ſerenat
Et Vatis numeros, & Militis ora Togati.
Quis Labor æternet, quæ Vox arguta Sororum
Fulgentem Annalûm ſeriem, vel magna referre
Geſta Patrum incipiat, Procerumque Equitumque Curules,
Et primos longa Heroum de Stirpe *Britannos*?
Faſtos, ANNA, Tui Imperii, & ſocialia Jura
Nulla Dies temeret; nectant Connubia Gentes
Haud inceſta, tuos Tibi dum, *Caledonia*, Natos
Angligenis miſcere licet, minus aſpera Corda,
Nec veterem confeſſa Fidem; Communia Sceptra
ANNA regat, junctoſque æterno Fœdere Patres;
Quales, *Adriaci* pulcherrima Gloria *Nerei*,
Urbs longe ſtupeat, Faſtum licet induat omnem
Purpureum, & famulis jactantior imperet undis:
Nec talis Trabeata Cohors confluxit in Arcem
Tarpeiam, Proceres quoties Cauſa alta popoſcit
Incertos *Latii* Fines, fragileſque Penates

Tutari, non ſi *Bruti*, Ultoriſve *Camilli*
Oſtentet facta, aut Divini jura *Catonis*.
Concilio è tanto immenſi Compendia Mundi
Fingimus; hinc Belli Motus, & Fata ſecunda
Vidimus Armorum; Magna hinc Conſulta manebant
Urbeſque Genteſque graves, ſeu mœſta timere
Excidia, aut dubiæ Solatia quærere Sorti.
Pacifici Heroes! Vos O fidiſſima Genti
Præſidia! Audaces Sanctis ſuccurrere Rebus!
Queis primum Pietatis Honos, pretioſaque Cura,
Relligio, tetigit Corda, ingentûmque Laborum
Pulchra Rudimenta, & fauſti dedit Omina Secli;
Ut Famæ Veſtræ, & *Pacis* Monumenta perennis
Undique conſurgunt! Divinæ exordia Pompæ,
Infantes & adhuc Moles, mox Templa futura
Vertice multiplici, caſtaque nitentia Fronte,
Ut profert *Auguſta*! Sacrato ut Marmore cultum,
Turrigerumque Caput plaudentibus inſerit Aſtris!
Nec puros *Britonum* Ritus Pia turbet *Erinnys*;
Quin late ſua Fana labantia lugeat Error
Lubricus, & caſſi nutantes Numinis Aras.
Jam nunc, ſi quando, arridet gratiſſima Plebi
Libertas, qualiſque Tuos decet, ANNA, *Britannos*,
Læta, modeſta; Sacri ſi unquam Decreta Senatûs,

Si Populi Jura, & Sceptri inviolabilis Ordo
Firmari poſſint, jam nunc firmata fuerunt.
Vobis Res ſalvas, defenſaque Jura, *Quirites*,
Plaudite, nec pigeat læta effudiſſe Tributa,
Dum non Plebeiis turgent Æraria Damnis.
Sin aliquis Patriam venalem prodidit Auri
Infami quæſtu, ſeu Martis perfidus Author
Lubrica in ambigua ſuſpendit Prælia lance:
Fallendi nec mille Modi, nec mille Figuræ
Defendunt multum vafra ſub nube latentem
Artificem Scelerum; ardentis delecta Juventæ
Vis agit, exploratque Dolos ſociata ſagacis
Angligenæ, atque indefeſſi Solertia *Scoti*.
Hi ſunt, qui cæcas Fraudis reſerare Latebras
Sufficiunt, Patriaque procul depellere Peſtem
Undique collectam, &, Vulgus miſerabile, *Rheni*
Triſtes Exuvias; rident felicius Arva
Nunc propriam Cererem, & *Britonum* teſtata labores.
Quin Strepitu inſano, & falſis terroribus acti,
Lucro ne mutuant Cives, neve anxius undis
Navita diffidat, maturæ meſſe feraci
Diteſcens Lamnæ, & redolenti pondere Frugum,
Tu reparas, *Harlæe*, avidi Diſpendia Belli
Providus, & facis *Auſtrali* Commercia *Mundo*;

Sors

Sors olim hinc melior *Britonas* deducet, amicos
Per Fluctus, rariſque horrentia Saxa periclis,
Perque ſuum Oceanum, extremum quacunque ſub Orbem
Concoquit auriferam Solis Vicinia Glebam;
Dum Notus, innocuo turgeſcens flamine, Claſſis
Inſolitæ aſpirat velis, ſubjecta laceſſunt
Æquora, & intrepidi luſtrant nova Sydera, Nautæ.

At Vobis Proceres, ſuperat pars Maxima Curæ
Lanigerum Genus excoluiſſe, & læta Bidentûm,
Munera; dum Pecudes villoſa Superbia veſtit
Pulchrius, *Heſperio* properabit Murice tingi
Vellus, idem *Britoni* Decus, & Velamen *Ibero*.
Hinc opus, hinc Vobis lucrum ſperate, Coloni;
Lanificas Gazas magna mercede rependet
Aureus ille *Tagus*, non fallax unda Metalli,
Jam nec Opes fictas pretioſo fundet ab Alveo.

Gallia multivagæ Cædis, nimiique Cruoris
Conſcia, Bellorum ſtrages ſarcire laborat,
Frugeſque & Merces, fœcunda Piacula, ſolvit.
Uvarum felix, & Nutrix alma *Lyæi*
Immitem accelerat Fructum, variatque colore
Purpureo; Uva, Patres, veſtrum turgeſcit in Uſum
Quælibet, & *Britonum* petit ambitioſius Ora.

Ut Cætu auguſto, & numeroſo Vindice cincta,

ANNÆ PACIFICÆ.

Ut Solii ſecura, Patres REGINA ſalutat,
Blanda Oculos, almæque potens dulcedine Vocis
Dat *Pacem*, & ſocios Populo *Dea* fundit Honores,
Dum Legum Obſequio, queis præſidet Ipſa, ſuperbit!
Se fidi agglomerant Proceres, fremituque ſecundo,
Aſſenſuque pio excipiunt ANNÆque Deûmque
Munera.
Quis tamen in *Cathedra*, illuſtri eingente Corona,
Momenta expendit Legum, facundaque Bella
Dirigit Eloquio, pacataque Pectora mulcet?
Nempe Tuum exultans, *Rhedycina*, agnoſcis Alumnum;
Quis Vultus erectus Honos! Quæ Frontis apertæ
Gratia! Ut affulget Virtutis Simplicis Ardor!
Aonii Cives, juvet Hoc adſcribere Faſtis
Perpetuum, & doctis Annalibus addere, Nomen;
Icta Viri eximii Meritis, Studioque fideli,
Curia ſubmittat parili cum Laude renatos
Bromleio Faſces: Succedat clarior Hæres
Ipſe ſuis Trabeis, Muſarum & Regna quieta
Tutetur Vindex, quas ornat Civis, *Athenas*.

COMITIA IN HONOREM

Aſſiento, ſive Commercium Hiſpanicum.

ARma domi ſileant, & ſolis mercibus æquor
Tranet onuſta ratis, Belli terrore fugato
Lethiferos ignes, inimicaque tela relinquat,
Flammarumque minas, fatique volatile Ferrum.
Nunc juvat æſtivis ultro dare Carbaſa ventis,
Immodico fluctuſque ſecari ſole calentes:
Aurea *Pax* iterum ſurgit, quæque oppida duro
Milite ſtrata cadunt, reficit Mercator, & auget.
Terra jacet fuſcos ultra *Garamantas*, & Unda
Piſcibus alatis fervens, tepidiſque procellis,
Hinc Aurum, hinc deſcendit Ebur; tamen effera victu
Gens ea nec cædit pecudes, nec paſcitur herbis:
Bella parant Epulas; madefacta Cadavera Tabo
Nigros Heroas ſaturant, crudoque Triumpho
Pingueſcit Victor, Palmamque reportat edulem.
Sanguine Templa rubent Hominum, membriſque cruentis;
Quem non Martis Opus ſceleratæ deſtinat Aræ,
Nec Sors convivis, ſub herili venditur Haſta.
Luxus Plumarum, & Majeſtas diſcolor ornat
Obſcurum Regem: nigrantia Tempora circum
Molle undat Diadema, errantque trementia Ventis
Picta Avium Spolia; exuſtis onerata Pharetra

De-

Deſcendit Coſtis, albentiaque Oſſa Ferarum,
Et Dentes nivei (pretioſa Crepundia) fuſim
Impediunt Collum, pallentque Monilia Conchis.
Quæ Maria aggreditur, vel quanta pericla *Britannus*,
Ut Cultro, & *Stygiis* devotos vendicet Umbris?
Hi juga celſa ſitu, ſed nuſquam fixa, pererrant,
Nec tam terret Aquæ nautas, quam fluctus Arenæ,
Qui Mortem Tumulumque ferat; ſed littora curſu
Auro opulenta petunt alii, toſtoſque requirunt
Æthiopum portus, & *Fluminis* oſtia *Nigri*.
Fœta viris gentem petit uncta carina remotam,
Quam tellus prædives alit, ſub ſydere Cancri:
Quaſque adeo imbuerant fraterno ſanguine dextras
His meliora damus; *Maurorum* operaque manuque
Surgunt Tecta domorum, & fervet navibus Æquor,
Turget ager Spicis, & Fructubus arbor abundat.
Nequicquam *Occiduas* tetigiſſet puppibus oras
Per dubium *Columbus* iter, niſi fidus adeſſet
Mancipii labor; hoc glebam domat, Arte magiſtra,
Atque informatum deducit montibus Aurum.
Interea *Hiſpanus*, cui fas diteſcere *Mauris*,
Agmine Servorum lætus, prope negligit Aurum;
Hinc Spes, ut Populus, Servis qui mandat, *Iberas*
Cogat opes, cunctiſque adeo dominetur & *Indis*.

Nec

Nec tibi, *Maure*, dolet Dominos mutaſſe priores,
A ſicco telluris, arenarumque Procellis,
Et nimio Sole, & patriis ſerpentibus acto.
Qui flet amicorum ſtrages, & ſæva Parentum
Funera, certus & ipſe mori, niſi venditur auro;
Hunc Hominum ſi tangit Amor, ſi Cura Deorum,
Gaudeat exiguos Reges, terramque ſceleſtam
Liquiſſe, Exilio felix: Seu Falce ſalaces
Caſtigat Ramos, ſeu carpit Aromata Sylvæ,
Vel nubit Vites Ulmo, inſperata Voluptas
Gratis arridet Curis, mollitque Laborem.
Qua parcum invito Mons pandit avarus Hiatum,
Afri deſcendunt, & ſcintillantia Rupis
Viſcera mirantur, pretioſaque Lumina Pubes
Gemmarum fœto ſpectant hærentia Saxo,
Infectumque vident Cunis fluitare Lapillum,
Splendere in Gutta, & nondum indureſcere Sydus.
Exercentur agris Vulgus. Pars Arbore plenos
Decutiunt Fœtus, & odoras prodiga Fruges
Accumulant. Alii pendentes Cortice pingui
Abrumpunt fragiles Lachrymas, & Thura reponunt,
Jam votiva Deis: Alii prægnantibus Uvis
Extrudunt Muſtum. Platani ſub tegmine fuſus
Spumantes potat Succos, Citreique Liquorem

Angliacus Dominus; dum pictis Turba Flabellis
Dulces alliciunt Auras, ſtratumque coactis
Oblectant Zephyris, mulcentque Sopore reclinem.
Sic ubi nativo torpentes Arboris Antro
Accerſat Tinnitus Apes; Gens parva recentis
Principium Imperii ſtatuit; ſua cuique puſillus
Rex Opera imponit; Pars libat roſcida Prata,
Luxuriatque Roſis; aliæ ſtillantia Mella
Stipant, & Spoliis cerata Palatia complent.

COMITIA IN HONOREM

Novarum Rerum Scriptores cum Bello conticentes.

T. ASpera dum poſitis pacantur ſecula Bellis,
Lætitiaque fremunt Urbes, effuſaque miſcent
Gaudia Plebs Procereſque; age, dic, quæ Cauſa ſerenos
Contriſtat Vultus, Animumque exterret Imago?
Num pelago deſævit Hyems, oriſque remotis
Fœtas Rumorum Tabulas male detinet Euri
Vis ingrata? an Te tangunt Impendia *Chartis*
Impreſſa *Hiſtoricis*? nam Nos, niſi fallor, Amice,
Fraternis animis Artem exercemus eandem,
Ambo Scriptores, ambo Novitatis amantes.
Scribimus indocti doctique; & ubique locorum
Quicquid agunt homines, noſtræ monuere *Tabellæ*.

C. Eſt, fateor, Studii ratio Communis utrique,
Et Diverſa tamen: Tu miſcens ſeria ludo,
Spes, & vota hominum, luctuſque, iraſque, timoreſque
Exagitas *Britonum* Cenſor: Tibi Nomina mille,
Mille placendi Artes, mille Argumenta libellis.
Aſt Ego contractis calamis nil molior ultra
Rem populi, *Europæ*que ſtatum; &, ceſſantibus Armis,
Quam metuo, ne tanta premat *Novitatis* Egeſtas,
Raraque Materies, ut toto vix quater anno

Mem-

Membranas poſcam? (*T.*) Satis O! Tua Pagina bellis
Narrandis aſſuevit, & acri horrentia pilo
Agmina commiſit; ſat dudum Stragis Acervos
Ingentes tua Dextra dedit, ſuditque Cohortes
Sævior Enſe Stylus: ſolito Tu more modoque
Æternum ſcribes, nuſquam pugnata recenſens
Prælia. (*C.*) Tu largam, fateor, Rex Magne *Gothorum*,
Materiem præbes, vacuæ ſuccurrere Chartæ
Præſens ſæpe, Armis ſeu per glacialia tendis
Frigora *Sauromatum*, indigno ſeu Carcere clauſus
Bendaræ, Patriam luges inglorius Exul.

T. Si tamen *Arctoi* coeant in fœdera Reges,
*Vandalicis*que iterum reddatur *Carolus* oris;
I, geminas deſcribe Acies, & in aere Turmas
Frontibus adverſis concurrere; ſentiat Axis
Armorum ſonitum, & trepidet Cœlum omne Tumultu.

C. Non temnenda mones. At cum *Pax* aurea Terris
Indulget Belli Requiem, cur militet Æther?
Rectius *Ægypti* ſævire feretur in agris
Exitioſa Lues, liventi corpora tabo
Inficiens, Medica Arte, herbaque potentior omni.

T. Quid prohibet lugubre rubentem accendere Stellam,
Syrmate terrificam longo, Caudaque minaci?

C. Stant contra Aſtrologi, cœlo bene conſcia turba,

Heve-

*Hevelius*que, *Tycho*que; & Tu, non infima gentis
Gloria fatidicæ, quem *Luſitanica* tellus,
*Romanus*que Pater devoto tradidit Igni,
Bickerſtaffe ingens. (*T.*) At fors impune ſtupendo
Corpore Balænam *Thameſino* in gurgite nantem
Narrabis primus, dirum Mortalibus Omen.

C. Scilicet has mallem per vulgum ſpargere Nugas
Innocue mendax, male quam Diſſuaſor Honeſti
Audire, & veſtras ſectari turpiter Artes,
Scriptorum genus infidum, qui temnere Regum
Imperia, & ſacri Jus inviolabile Sceptri
Effrænes audetis, inuſto ſtigmate frontem
Signandi, & curtas digni truncarier aures.

T. Me, ſeu Martis opus gliſcat, ſeu mollia *Pacis*
Otia agat Populus, Me non prælarga *Novorum*
Copia deſtituet, dum cæco inſanit Amore
Laſcivus Juvenis, dum delirantia fundit
Verba Senex; pectit dum crinem, & mane ter uno
Mutat *Cotta* Togam, *Bavius*que Poemata pangit
Inſulſa, & ſolido gaudes, *Bollane*, Cerebro.

C. Quin memini, bone Vir, cum, Te ſcribente, revolvi
Res geſtas Regumque Ducumque, atque oppida bello
Diruta, & everſos acta teſtudine muros.
Sat memini, cum Te non obnitente, nefandum

Seditio extulerit caput; & furialibus auſis
Favit inæquali ſtudio Tua Pagina, Cenſor.
Fors horum meminiſſe piget. (*T.*) Mea Charta fideles
Uſque dedit Monitus; Partes animoſus in omnes
Diſtrinxi Calamum; nulli Cenſura pepercit
Culpæ, nec Vitium paſſa eſt impune vagari.

C. At nunc ille Animi ſenſim deferbeat Æſtus,
Et longo diſcat miteſcere *Neſtor* ab ævo.
Certe fortunatus in hoc, bona ſi tua noris,
Qui Mala nec *Pacis*, nec Belli Incommoda ſentis;
Dum gravia impreſſis Nos Vectigalia Chartis
Lugemus miſeri: Tibi cedit cura Typorum
Utilior, ſolvuntque Tibi tua Scripta Tributum.

T. Hæc olim. At nunc Me gravis Inclementia fati
Submovit, calamique inſana Licentia læſit.

C. Interea quam dura premit Fortuna Sodales?
Undique dura, *Novi*que & Nummi triſtis Egeſtas.

T. Quidni igitur *Phœbus* Pater, *Aoniæ*que Sorores
Subſidio veniant? I, *Pacis* amabile Donum
Verſu concelebra, placidoque fluentia rivo
Secula: fer *Domino* Carmen ſolenne, potentis
Et *Mecænatis* præſcribat Pagina Nomen.
Hinc Tibi certa Lucri ſpes, &, Præconia noſtra
Si quid adhuc valeant, inter numerabere Vates.

C. Diſpeream, ſi vel Numeros vel Carmina norim.
Non mihi *Pieriis* ſopito Muſa ſub antris
Arriſit, Geniumve ſavens indulſit *Apollo*.
Me natum infauſto ſub ſydere, & in tenui re
Verſari ſors dira jubet. (*T.*) Si quid Mihi credis,
Quiſquis erit vitæ ſcribas color. Auſpice *Phœbo*
Nil opus, aut fuſis *Pindi* ſub fronde Camœnis:
Sufficit exactos ſeno pede ducere Cantus,
Concinne Numerum Rhythmo claudente ſupremum.

C. Scilicet is Digiti labor. At cui tempore dextro
Heroi palpabo? Ego non ingentia Facta
Nobilium, aut Genus, & Proavos, & Stemmata novi.

T. Nomina ſi Tibi nota, ſat eſt. I, quemlibet Author
Delige Patronum, & fictis Virtutibus orna;
Sit bonus, & fortis, ſit fidus, amanſque Camœnæ,
Conſiliis multum pollens, animique benignus:
Hæ Tibi erunt Artes, hinc Præmia certa Laborum.

C. Non hæc immemori narras. Tibi Diique Deæque
Verum ob Conſilium donent bis *Neſtoris* annos.
Forſitan his olim monitis innixus, & uſu
Experiens, hoc more queam diteſcere; cum ſit
Rarus Honos, Virtuſque *Britannûm* averſa recedat.
At non mentita fama, artificique colore
Tempus eget: Jam priſca Fides, & inempta Potentûm

Splen-

ANNÆ PACIFICÆ.

Splendeſcunt Merita. En! longo ſtant ordine circum
Atria Magnates, Decora & Tutamina Sceptri.
In medio REGINA, Illam nam plurima veſtit
Gloria, & auguſta Majeſtas Fronte renidens.
Quis non inſolitas accendi in Pectore Flammas
Perſentit Vates? Cui non in Carmina vires
Sufficiunt, ANNÆ Imperium, Moreſque benigni,
Parta Salus Populo, & melior *Pax* mille Triumphis?

COMITIA IN HONOREM

Exercitus Exauctoratus.

VOS O! Relliquias Belli, Mavortia corda,
Qui bis denæ hyemis glacialia frigora paſſi,
Æſtivoſque ignes; torvo quibus horret in ore
Multus Honos, ſtimulatque ingens præcordia Virtus:
Vos patrio procul orbe vagi, triſtique laborum
Infracti ſerie, charis ſuccedite tectis,
Dilectumque Solum, dulceſque reviſite Natos.
Parcite jam Pugnæ, Sudore & Sanguine partas
Sumite Mercedes, & non ingloria *Pacis*
Otia, victriceſque Oleis intexite Lauros.
Non Belli auxiliis, aut defenſore *Gradivo*
Tempus eget; non *Flandriacis* animoſa Phalanges
Immittit campis, vel *Iberis* intonat oris
ANNA, ferens ſtragem; ſed non oblita laboris
Veſtri, fida Cohors, Meritis præclara recuſat
Præmia; nec patitur longo ut colliſa Duello
Agmina, pugnacemque Manum, infeliciter angat
Res anguſta domi, & Penuria ſævior Armis.
Ecquis erit, laceros Artus cui miſſile Plumbum
Infregit? cui Membra rigent exanguia Succo?
Ecquis, inæquali fultus Tibicine, Greſſus
Fert dubie alternos? aut mancæ Opprobria Dextræ
Ingemit?

Ingemit? En! pandit mutilæ domus hoſpita turbæ
Chelſeiana fores, & amico ſub lare feſſos
Tutatur, duri penſans Incommoda Martis.

Vos, quorum imperiis Tempeſtas horrida Belli
Paruit, illuſtres Animæ; Qui Signa *Britannûm*
Ad gelidas *Iſtri* ripas, *Rhodani*que fluentum
Fixiſtis, *Sicorim*ve *Hiſpana* per arva volutum
Indomiti tranaſtis, honeſtæ Inſignia Palmæ
Circumſtant Spolia ampla; & non indebita tantis
Uſque favens Auſis Stipendia porrigit ANNA.

Vos, humili de plebe cohors, pars Infima pugnæ,
At non degeneres Animi, neque frigida bello
Dextera, Vos iterum antiquis aſſueſcite mentem
Artibus, immunes quæcunque per Oppida Cives.
Ne pudeat campum fractis invertere glebis,
Aut rigidam in falcem gladios conflare recuſos.
Non hoc tempſit opus, fundi *Serranus* aviti
Cultor, quanquam Armis *Æquicola* rura ſubegit
Victor, & aurato inſcendit Capitolia Curru:
Sed Faſces, *Romane*, tuos, Trabeamque reliquit,
Belligeramque manum priſco ſubmiſit Aratro.

Nunc montis per aprica, reductæ aut vallis in umbra,
Prælia fas antiqua, & geſtas ordine Pugnas
Enumerare; licet turres, & celſa *Namurci*

Ponere Munimenta, Acieſque per arva *Blenhemi*
Ducere, & infixo deſcribere Caſtra ligone.
Hac ibat patriis acer *Churchillus* in armis,
Agmen agens *Britonum*; hac Aquilis victricibus inſtans
Eugenius, præclara animabat in Auſa *Sicambros*:
Parte alia, *Boiæ* retro ceſſere Cohortes,
Tendebatque manus ſupplex *Tallardus* inermes.
Hæc ubi commemorat nixus Bellator aratro
Emeritus, dulces pendent circum ora Nepotes,
*Angliacos*que iterum expoſcunt audire Triumphos.
Atque aliquis, tenero cui Virtus pectore inardet
Acrior, inſolitam circum præcordia Flammam
Sentit, &, ingenti lætatus Imagine rerum,
Semper Equos, atque Arma Virûm, Pugnaſque requirit.
Sic Pater *Æneas*, ubi longi Incendia Belli,
Fataque, Fortunaſque *Phrygum*, Strageſque recenſet,
Multa ſuper *Priamo* memorans, ſuper *Hectore* multa:
Stat juxta *Aſcanius*, jamdudum invadere magnum
Quid meditans; Puerique animos in bella furentes
Facta Patrum ſtimulant, & Avitæ gloria Famæ.

ANNA *Eccleſiæ & Academiarum Fautrix.*

ANNA, Decus *Britonum*, Columenque immobile Regni,
Cœlitus immiſſa Hoſtiles componere Motus,
Et Bellis fracto dare *Pacis* Gaudia Mundo:
Adſis O! faveaſque, *Tuas* dum dicere Laudes
Aggredimur, penituſque Animis illabere noſtris.
Talis enim per anhela Furor mihi Pectora pulſans,
Te Præſente, ruet, talis mihi Carminis Ardor,
Quale cavo fertur Vates ceciniſſe ſub Antro,
Sacra ferens Reſponſa *Dei*, dum non ſua Verba
Emittit, totuſque agitat Præcordia *Phœbus*.
Fallor, an agnoſco, terreſtri hac Nube remota,
Fulgentem in Cœlis ANNAM, *Divam*que futuram,
Martyre cum *Carolo*, & Te, ſancta *Maria*, Sorore?
Stat circum alta *Quies*, *Virtutum* & lucidus Ordo;
Inconcuſſa *Fides*, canis veneranda Capillis,
Æternas reſerat Portas, atque aurea Tecta:

Relligio,

Relligio, Matrona Caput velata pudicum,
Ore verecundo insignis, Formaque decenti,
Excipit Amplexu dulci, & *Tibi* grata rependit
Munera, quæ in Terris à *Te Fautrice* recepit;
Magnificas Ædes, Christique Palatia, Cœli
Æmula, quæ struxit *Fidei Defensor* avitæ,
Exultans monstrat, Tantaque superbit Alumna.
Describit, quali se Vertice tollit ad Auras
Ædes *Paulina*, ut fulgentes ære Columnæ
Sustineant Onus immensum, & sub Mole verenda
Stant, Regina, *Tuæ* Monumenta perennia Famæ.
Hic non mutato fortis *Constantia* Vultu,
Diva Tui similis, Cui non revocabile Verbum,
Non temerata Fides, recolit Te semper *Eandem*,
Te semper sceleris puram, Rectique tenacem.
Parte hac sollicita steterat *Prudentia* Fronte,
Et *Spes* arrectos tollens ad sydera Vultus,
Et facie torva vibrans *Astræa* Bilancem;
Cui Comes almus *Amor*, nimias qui temperat Iras
Justitiæ rigidæ, sublimiaque Ora serenat.

Cœlicolûm plaudente Choro, pia Facta *Britannæ*
Enumerant *Divæ*, Cujus sub pectore sacro
Ipsæ habitant, gaudentque novum Decus addere Cœlis.

Concentu parili *Rhedycina* & *Granta*, Sorores

Ambæ

Ambæ florentes, ambæ *Tua* maxima Cura,
Te *Divam* in Terris celebrant, volitatque per Ora,
Tot variis disjuncta locis, sociabile Carmen.
Hæc placidum juxta *Chamum*, *Tua* Dona Camœnis,
Otia grata canit, dum leni murmure flumen
Inspirat faciles Versus, *Pacis*que Triumphos.
Illa Theatrali Reginam ad Sydera Pompa
Evehit, & lætam *Britonum* vocat undique Gentem:
Ore bibunt avido Laudes, quas prodiga Famæ
Effundit *Rhedycina*, arrectisque auribus adstant.
Seu viridem Fronti Musarum turba Coronam
Innectunt, Hederasque breves, Floresque caducos;
Implicat hæc Crines ramo felicis Olivæ,
Illa triumphali redimit *Tua* Tempora Lauro.
En! Tibi sponte sua submissa, *Britannica* Quercus,
Brachia protendit, Capitisque inclinat Honores;
Quercus sacra *Jovi*, & fidissima Regibus Arbos.
Auspice Te, Studiis floresçit nobilis Otî
Pieridum sacrata Domus, Tu Munere ditas,
Virtute exornas, crescentem demetis *Hydram*
Exitio fœtam, quoties inimica *Camœnis*
Sibilat Ore ferox: *Muliebri* sternitur ictu,
Atque in Te, Musæ, Gens imbecilla, recumbunt.
Haud secus aerios Cives Regina Volucrûm

Protegit advolitans; Fulmen quatit Illa *Tonantis*,
Accipitremque fugat ſævum, Milvumque rapacem:
Gens tota Alituum exultant, ramiſque frequentes
Ludunt, multiplicique inſtaurant Voce Triumphos.

Muſarum Oblatio.

O Diva! Cujus præſidio *Tuæ*
Crevere Vires & Decus *Angliæ*,
Sperata Quæ feſſis dediſti
Otia Lætitiamque Terris;
Dum Te Senatus, fidaque Civium
Stipant ovantûm Gaudia, Supplices,
Nec Munus indignum ferentes,
Reſpicias facilis Camœnas.
Te grata juſtis tollere Honoribus
Europa certat: Te, quia perfidos
Frænare gaudentem Tyrannos,
Supplicibus pariter benignam.
Te *Cimber* audax, Te, calidæ nimis
Fidens juventæ, *Vandalus* Arbitram
Appellat, æquâ ſortientem
Imperia & Populos bilance.
Te, *Cantaber*, Te *Gallus*, & *Africæ*
Prædator Oræ *Maurus*, & ultimo
Te miſſus à Solis cubili
Attonitus veneratur *Indus*.

Feſto

Feſto ſonantes Carmine TE Tuæ
Colunt *Athenæ*; læta fidelibus
TE plauſibus poſcunt *Theatra*;
Poſtera nec reticebit Ætas:
Dum Res *Britannæ* materiem dabunt
Seram Poetis, dum ſteterit Lapis
Sheldoni, & *Iſis* dum lavarit
Aonidum ſacer amne Sedes.

CONCENTUS TERTIUS

Ad Sequentem Oden Accommodatus.

ODE.

I.

WITH Noiſe of Cannon, and of Ratling Drums,
Our Songs of Triumph ſhall Reſound no more;
Crouds ſhall no longer ſhout, *The Conqu'ror comes*,
Nor in our Verſe ſhall warlike Thunder roar.
A milder, happier Strain we now begin;
Tuning to *Peace*, and *Britain*'s glorious QUEEN,
The ſoftly-Breathing Flute, and ſprightly Violin.

II.

Peace is the Song; in *Peace* our Airs conſpire:
Let all harſh Notes, and jarring Diſcords ceaſe;
And ſure no Theme can better fit the Lyre,
The Soul of Muſick is the Soul of *Peace*.

Nor will we ev'n the Martial Trumpet ſpare,
The Martial Trumpet ſhall our Confort ſhare,
And ſound the Joys of *Peace* with Harmony of War.

III.

Where, Mighty ANNA, will Thy Glorys end?
Thou Great Compoſer of diſtracted States:
Thy Counſels Nations in Suſpenſe attend,
And Monarchs from Thy Throne expect their Fates.
Nations, which, lately Hoſtile, now reſign
Their Cauſe to *Thee*, ſhall in Thy Praiſe combine,
And All th'agreeing World in one Grand Chorus join.

Joſ. Trapp,
Coll. Wadh. Soc. Prael. Poëtices.

PERORATIO.

UUM apud omnes ubique gentes, ii ſemper optime audierint Principes, qui Regnis ſuis Pacem conciliaverint, qui Literas, aliaſque *Pacis* Artes, ſumma cum cura excoluerint, ſummis adauxerint Beneficiis, hodie non inauſpicato vacavimus, Academici, *Pacificæ* REGINÆ noſtræ Laudibus celebrandis, utpote Quæ, Victoriarum tandem pertæſa, ſuos ultro Triumphos repreſſit, Quæ diuturna Theatri *Sheldoniani* Silentia feliciter abrupit, Quæ poſt emenſa Belli Tædia literatum Poetis Otium indulſit, & pulchram hanc fecit Oratoribus dicendi Copiam. Quicquid in Illis Elegantiæ aut Acuminis, quicquid in His Facundiæ aut Ponderis, quicquid in Utriſque nituit Ingenii, id omne

omne ab ANNA unice profluxit, id ad amabiles ANNÆ Virtutes depingendas gratiſſime ſimul, ac diſertiſſime efloruit. Quam arduum, quantique momenti Opus ſit, ambitioſas Principum pro Maris dominatu, pro Finibus, pro Regnis integris dimicantium Lites componere, quam regium, imo quam plane divinum, Hominum animos, alios fortaſſis Prædæ, alios Famæ, alios Imperii ſpe & cupidine arrectos deprimere, ſævientes compeſcere, ſoli optime norunt ii, qui perplexa Rerump. Jura & extricare callent, & ſtabilire. Quanta in id genus Laboribus ſubeundis & perferendis Patientia, quanta in ſummis Difficultatibus ſuperandis Conſtantia, quanta in labantibus afflictarum Gentium rebus ſublevandis, privatiſque Fœderatorum cujuſque Principum Commodis promovendis Diligentia, ANNA eminuerit, quam caute, quam indiſcriminatim pia hæc præſtiterit Munera, quam expedite, quam inopinato, cum vix ſuſcepta eſſe viderentur, ſingula perfecerit, teſtantur totius *Europæ* Gaudia, Plauſus, Triumphi. Quicquid aſſequi poterat Principis Virtus, Pietas, Prudentia, id abunde ANNA aſſecuta eſt: quicquid à Conſiliis auſpicatiſſimis, Senatu fideliſſimo, PRINCIPE pientiſſima, quicquid, pene dixerim, ab Ipſo Deo O. M. ſperare licuit *Britanniæ*, en! Vobis hæc Omnia, vix quidem optantibus, hodierna Dies attulit. Non etenim nunc PRINCIPI OPTIMÆ,

ſicuti

ſicuti quondam, de Ducibus ac Legionibus fugatis, captis, cæſis; non de Spoliis Vexilliſque ex oſtentatione reportatis; non de Caſtris Munimentiſque feliciter expugnatis; ſed de Bello decennali fauſtis tandem Auſpiciis confecto; de non ſimulata infenſiſſimi olim Hoſtis Amicitia; de *Pace* denique per univerſum pene terrarum orbem diffuſa, læti gratulamur. Nulla hodie, *Cultiſſimi Juvenes*, decantaſtis Prælia Matribus deteſtata; nulla Proco metuens Amaſia interpellavit feſtivos Muſarum Plauſus; Vidua nulla, ad defuncti Conjugis nomen furtim intempeſtivam litans lachrymam, Victoriis nimio emptis pretio indoluit. Ecqua nimirum, niſi ad blandiores *Croſteſii* Modulationes, evolarunt uſpiam Suſpiria? Illum utique penes eſt languentes Animi Affectus concitare, concitatos viciſſim delinire. Suas itaque, quas optime meruit, referat Laudes Vir Muſices peritiſſimus, qui ea ipſa jucundiſſima Vos detinuit Harmonia, qua ORMONDI aures oblectaverit, qua ANNÆ curas demulſerit. Quidni ſcilicet autumemus eximium huncce Virum, ſub faventis REGINÆ Patrocinio, ſub diuturnæ *Pacis* Otio, ſuaviſſimam Artem ſuam omnibus demum numeris perfectam redditurum, ipſi quidem *Purcello* non imparem? Quidni etiam ſperemus cætera, quæ modo cunque ſint, *Pacis* Studia, à Vobis, Academici, pari cum felicitate excolenda fore, qui Comitia veſtra jamjam inſtau-

rata, qui poſt Decennium *Theatri* apertas, occluſas *Jani* Portas vidiſtis? Sua jam tandem Literis redit Gratia, ſui itidem Honores Literatis redibunt, quos è fœcundo ſinu ſuo indies emittet *Alma Mater* noſtra, eoſdem fortaſſe poſthac aliquando & Patronos habitura, & Beneſactores. Faxit Deus, PRINCEPS AUGUSTISSIMA, ut, *Britanniæ* Tuæ chariſſima, chariſſimæ Tuæ *Britanniæ* diutiſſime interſis! Quum vero, multis abhinc annis, triſte nobis dilectiſſimæ *Fautricis* noſtræ Deſiderium reliqueris, ſæpius hic recurret poſteris, dehinc procul remotis, jucundiſſima TUI Recordatio; ſæpius ANNAM, Nomen amabile, nitidiſſimi hi *Sheldoni* iterabunt parietes, ob Victorias, ob Triumphos, ob *Pacem Europæ* redditam, cum invicto *Henrico*, *Henrici*que pluſquam æmula *Eliza*, ob ſingularem EJUS erga Eccleſiam, erga Academias Munificentiam, cum *Ælfrido* illo *Magno*, cum Divis *Edvardo Carolo*que, memorandam.

Jam vero tandem novus plane, & inſolitus auribus veſtris, Academici, ſeſe aperit dicendi campus. Ab omni enim circumquaque Orbis Literati Regione, & ab hac præſertim Literarum Sede, ſiqua uſpiam gentium alia, celeberrima, & ſua *Ludovicus* depoſcit Encomia. Nefas utique foret Muſis Te ſilentiô præterire, qui de Muſis optime meruiſti. Quis enim Eruditioni promovendæ *Ludovico*

melius

melius consuluit? Quis felicius instituit Academias? Exaugendæ politiori Doctrinæ Quis impensius incubuit? Ideo nempe *Ludovicus Pacem* videtur impetrasse, ut Ingenii renovet Certamina; ideo deposuit Arma Miles emeritus, ut ad summum usque fastigium omnigenam evehat Literaturam, & Otio, vel Rege non indigno, consenescat; ideo demum Arces, immenso Sumptu atque Labore munitas, animo minus obluctante dedidit evertendas, ut nova Musis voveat Hospitia; ut *Lutetiæ* forsan Theatrum extruat, *Sheldonianæ* hujusce Molis tantum non æmulum. Pergas, *Rex Christianissime*, Literatis, alio quovis Rege, & plus dare, & debere, ac, finito nunc tandem Bello, Eruditorum Ingenia, ubicunque Terrarum reperiunda, Præsidio, sicuti facis, tutari, fovere Gratia, Præmiis extimulare; majores scilicet Laudes adepturus ab officiosæ *Academiæ* Tuæ Obsequio, quam à Castrorum discrimine, quippe qui jamjam nihil non exuperasti, præterquam *Britonum* Arma, & *Gallorum* Adulationes.

Atqui missis ad luxuriantem Suorum Facundiam Principis hujusce Encomiis, ad contemplanda denuo *Pacificæ* Annæ nostræ Beneficia lubens revertor, Quæ foris inveterata Regum concertantium Odia & Iras, vel Armorum Vi, vel Consiliorum Suadela, composuit; Quæ, afflictam oppressamque Reformatorum Fidem in Regnis eidem infensissimis

fenſiſſimis ſtabilivit; Quæ, diffuſa longe lateque Mercatura, diſſitiſſimas Orbis Plagas *Britanniæ* ſuæ conjunxit; Quæ domi viciſſim tenuioris fortunæ Clerum, Munificentia vere Regia, à petulantiori vel Opulentiæ vel Ignorantiæ Faſtu pie vindicavit; Quæ à Sanctiſſimis Religionis noſtræ Myſteriis Hypocritas, dotatam ſolummodo Pietatem inſidioſe ambientes, procul amandavit; Quæ Sua ſimul fortiter aſſeruit, & Subditorum interim Jura non læſit; Quæ denique Rebus & Sacris & Civilibus Eos præfecit Viros, qui, non ſine ſumma Sibi Gloria, conflictanti tandem *Europæ Pacem* retulerunt, & huic Seculo, & ſeris itidem Poſteris, æque profuturam.

En! vobis Virum omnibus Naturæ pariter, ac Doctrinæ Dotibus inſtructiſſimum, haud minus ANNÆ noſtræ, quam *Cecilium Elizæ*, charum; Conſilio non minorem, Fide pluſquam parem; Ab hac Literatorum Sede primos Honoris Titulos auſpicantem, ut in Literatos abſque oſtentatione conferret Beneficia, ab iiſdem viciſſim Laudes abſque invidia accepturus. En! Patricium PRINCIPI, Populo, Bonis omnibus dilectiſſimum, Fanaticis vero, Sicariis, Parricidis, inviſum, appetitum, inopina morte tantum non multatum. En! denique *Harleium* in Ærarium, inſatiabili prorſus Peculatu nuper exhauſtum, Theſauros provide ingerentem, ut Regias ſemper in Reip.

Emolu-

Emolumentum caute eroget Pecunias, & Secretioribus ANNÆ Conſiliis ſedulo aſſidentem, ut literatam, tutam, opulentam reddat *Britanniam.*

Poſt delibata integerrimi hujuſce Viri Encomia, quem potius eligam hic loci memorandum, quam Sanctiſſimum illum Præſulem, inter Libros cum Urbanitate, inter Homines cum Innocentia, verſantem; *Wiccami* ad inſtar, *Wainfleti*que, è gremio veſtro, Academici, evocatum ad ſumma cum Eccleſiæ tum Reip. Munera obeunda; ſine Adulatione Aulicum, ſine Aſtutia Legatum; eadem Mentis & Simplicitate & Conſtantia, qua Regnis olim *Septentrionalibus*, univerſæ nunc *Europæ*, *Pacem* inſtaurantem?

O Felicem prorſus Eccleſiam, quæ tales nacta es Antiſtites! Felicem itidem Remp. cujus Incolumitati & Emolumento tanti Viri Curis aſſiduis invigilant! Felicem denique Academiam, quæ Alumnos tantis Animi dotibus illuſtres in utramque immiſeris, plures ab hac ipſa eruditiſſima Juvenum Corona, & Meritis & Honoribus pares, aliquando forſan immiſſura! Nec enim minora, *Lectiſſimi Adoleſcentes*, pollicentur ea, quæ hodie exhibuiſtis, Ingenii Specimina. Eo nimirum emicuerunt hodiernæ Veſtræ Exercitationes, & futuræ quaſi Famæ Præludia, ut qui præeuntes dignis adeo Laudibus celebraſtis, Voſmet ipſi quoque à poſteris perinde celebremini. Macte igitur eſto tali

Ingenio Juventus feliciſſima! Macte tali Juventute floreniſſima Academia! Digna ſane, cui *Britanniæ*, *Europæ*, *Pacati* Orbis Gloria præſit ORMONDUS; Nomen Muſis hodie ſæpius decantatum, omnibus dicendi Autor, Argumentum, Præmium. Eruditas itaque, *Illuſtriſſime* CANCELLARIE, exoptatiſſimæ illius *Pacis* accipe Primitias, quam Ipſe nobis indulſiſti.

Quantæ interea Tibi habendæ ſunt Gratiæ, *Inſigniſſime Vice-Cancellarie*, cujus juſſu ſuſcepta, cujus auſpiciis peracta ſunt hæc Encœnia? Leve quidem & vulgare foret, præclaras iſtas, quibus diverſiſſime polles, enumerare Virtutes. Pia nimirum exultantes Æmulatione *Wainfleti* noſtri atque *Chichleii* Manes Te ſibi certatim vendicant. Alter Collegii ſui Te charum olim Alumnum, Alter etiamnum ſui Cuſtodem vigilantiſſimum gloriatur, deſtinatum ſcilicet ad cohibendam incautiorem Juventutis Togatæ Licentiam, & intermiſſas *Almæ Matris* noſtræ Diſciplinas, ad priſtinum denuo & Splendorem & Uſum revocandas; dignum denique, quem toti, jure quidem optimo, Academiæ præficeret ORMONDUS. Hoc vero Tibi, *Vir Egregie*, in Honorem præſertim cedit, quod Vicina Moles eo uſque aſſurrexerit, ut omnia, quotquot uſpiam fuerint, Typographea, non Fabricæ ſolummodo Magnificentia, ſed uberiori Eruditionis omnigenæ Proventu longe ſit exuperatura.

peratura. Et felix quidem fauſtumque iſtis Ædibus Omen eſto, quod ex iis primum prodibunt immortalia, nî vanus auguror, hujuſce Solennitatis Monumenta, quibus, utcunque Vos, *Florentiſſimi Juvenes*, hic paucas tantum in horas Præſentium aures demulſiſtis, illinc tamen è Prelo emiſſis, Abſentes quoque, & Poſteros in æternum oblectabitis. Inde enim, per infinitam Annorum ſeriem, ventura diſcent Secula ſingulares eximiaſque Eorum Virtutes, quos Suos olim fuiſſe jactat, quos adhuc Sibi quam arctiſſime devinctos lætatur Academia, *Bromleii* nempe Integritatem, Pietatem *Robinſoni*, ORMONDI Fidem, ANNÆ Gloriam.